# RECTOR
## ACADEMIÆ GIESSENÆ,
# FRIDERICUS, HASSIÆ LAND-
## GRAVIUS, PRINCEPS HERSFELDIÆ, COMES IN CATTIMELIBOCO, DECIA, ZIEGENHAINA, NIDDA, SCHAUMBURGO, YSENBURGO & BUDINGA, &c.
## Omnibus Omnium Facultatum Studioſis
Clementiam & Favorem!

QUod ſi quis præſtantem Scholaſtici ſtatûs dignitatem conſiderat, innumera ferè eſſe animadvertit, quæ ad deprædicandam illam ſymbolum ſuũ conferunt; nullum autem eorum majori id præſtat efficaciâ, quàm quod docentium atque diſcentium ex ipſo ſacro codice autoritatem urget: Ecquis enim adeò in SS. literis parùm verſatus eſt, ut maximos quosque viros aut in ſcholis docuiſſe, aut ſaltem ex hac virtutis & eruditionis palæſtrâ prodiiſſe ignoret. Sanè Moſes, ipſius DEI amanuenſis & populi Iſraëlitici præco graviſſimus æque ac perilluſtris plurimum ſcholis Ægyptiorum ſapientum debet, teſte Stephano, Actor. 7. 22. Abrahami fideliſſimam domeſticorum informationem encomio ſublimi dignatur ipſe Deus, Gen. 18. 19. Prophetarum gymnaſia decoris conciliandi gratiâ quoque memorantur in ſacris 2. Reg. 2. 3 4. 1. Sam. 19. 20. Aulæ ſuæ Præceptorem Joſephum non vulgari felicitate præpoſuit Pharao, Pſal. 105. 21. 22. Et quis non Danielis inter Chaldæos miretur profectus, ſi diſcipulum, Dei internâ luce colluſtratum, mox omnium Magorum ſapientiam viciſſe, & ampliſſimi Imperii Doctorem, intueatur. Neque in novo fœdere dignitati huic quicquam ademit Chriſtus, quin potiùs ipſe omnium ſanctiſſimus, ſapientiſſimus, fideliſſimus extitit, & omnes ſuos ſectatores, maximè quotidie conſociatos Apoſtolos cœleſti doctrinâ irrigavit, Sed nec contentus traditione præceptorum Theologicorum de regno Dei, Matth. 4. 23. ſcientiâ ſalutis, Luc. 1. 77. Prudentia humana in Philoſophicis quoque ipſis non defuit. Ita in Rhetoricis eosdem erudiit, metaphoricam vocabuli fermenti acceptionem tradendo, Matth. 16. 6. In Logicis conſequentiam ab exemplo Eliæ deductam vitii arguit, Luc. 9. 54. In Phyſicis ingredientium in ventrem, & egredientium ex ore naturam ad *ſpiritualia trahens, Matth. 15. 11.* In Ethicis φιλαυτίαν Matth. 18. 1. ſeqq. & inhumanitatem diſcipulorum carpendo, Marc. 10. 13. In Politicis de regnandi lubidine diſſerendo, Matth. 20. 20. Quæ cùm ita ſeſe habeant, quid honeſtius, quid homine liberali & ſtudiis dedito dignius eſſe poteſt, quàm eos, qui ſacrarum atque profanarum literarum doctrinam profitentur, ſæpiùs adire, ab *illorum* ore pendere, & ut paucis multa complectar, ſe verè ſtudioſum, & Academicum præbere? Agite itaque, quotquot hîc ſtudiorum gratiâ verſamini, arripite occaſionem, atque oſtendite, nunquam vos minùs otioſos eſſe, quàm in ipſo otio. Ut ne verò vobis deeſſe argumentum videatur, non unum ſed varium ſequens ſuppeditat tabella: Hîc eligite, ad quod fert animus, ut ferat fructus labor veſter, quos publica ſperat utilitas. Deus ſummus ſtudiorum Moderator docentium & diſcentium ſtudia feliciter provehat, atque bene ſecundet! P. P. Gieſſæ Domin. Palm. ſub Sigillo Majore, Anno M. DC. LXX.

---

### *IN FACULTATE THEOLOGICA.*

PETRUS Haberkorn/ *S. Th. D. & Profeſſor P.* in curſu Theologico progredietur, initium Lectionum ſuarum facturus à materiâ de Sacramentis V. & N. T. in Genere & in Specie, Vocatione, Pœnitentiâ, Fide, Juſtificatione, B. Operibus, &c. & continuaturus per Dei Gratiam, usque ad finem. In Collegio privato inſtituet tam explicationem controverſiarum in prædictis Articulis fidei, quàm *diſputationes de illis hebdomatim habendas.* Lectionibus ſuis publicis præmittet ſemper aliquid de Hiſtoriis Eccleſiaſticis, prout cœptum. Publicas diſputationes autem continuabit contra Calvinianos & Syncretiſtas modernos.

JOHANNES NICOLAUS MISLERUS, *S. Theol. D. Ejus & Hebr. Lingv. Profeſſor* in Lectionibus publicis, volente Deo, faciet initium à Creatione. Collegium privatum contra Pontificios, ad ductum Becani Manualis, continuabit. In Hebraicis S. Lingvæ Cultoribus ſuam quoque præſtabit operam.

MICHAEL SIRICIUS, *SS. Theol. D. ejusdemque Profeſſ. Ordin. Stipend. Ephorus & Eccleſiaſtes*, Maſenii refutationem publicè ita continuabit, ut etiam additurus ſit Prælectiones de Scriptura S. & S.S. Trinitate. Privatim quoque perget in Collegiis ſyſtematico & Anti-Calviniano: Non deerit etiam in aliis exercitiis operâ ſuâ illis, qui laudabiliter in ſtudiis proficere geſtiunt.

PHIL. LUDOV. HANNEKENIUS, *D. & Prof. extraord. privatim*, Deo volente, Collegium aperiet Diſputatorium in Adverſarium quendam celebrem Pontificium aut Calvinianum, quæ electio penes Dn. Auditores fuerit. Concionum etiam elaborandarum methodũ præibit, ſi amatores habuerit inſtitutum.

### *IN FACULTATE JURIDICA.*

HARTMANNUS JACOBI, D. *Conſiliarius intimus Haſſo-Darmſtadinus, Regiminis atq; Academiæ Cancellarius & Profeſſor*, in Collegio Practico, prælectionibus publicis, & aliis quæ Academiam & Facultatem concernunt expeditionibus, quantum per negotia graviora licebit, ſuo non deerit officio.

GREGORIUS TULSNERUS, J. U. D. *Conſiliarius Haſſo-Darmſtadinus, & Profeſſor Ordinarius, Facultatis Senior*, à Sereniſſimo Principe ac Domino, DN. LUDOVICO, Haſſiæ Landgravio &c. quoad prælectiones publicas rude clementiſſimè donatus; in aliis, Academiam & Facultatem concernentibus negotiis, quantum per vires corporis licebit, ſuo non deerit officio.

ANTON-HENRICUS MOLLENBECIUS J. U. D. *& Prof. ordin.* lectionibus publicis inſignem Titulum de ACTIONIBUS, ſcitu præ cæteris maximè neceſſarium, & in foro & praxi utiliſſimum, ſuccinctè explanabit. Privatim vero aperiet collegium Inſtitutionum Imperialium Lectorium, & Pandectarum *Weſenbecianum* vel *Struvianum* Examinatorium. Diſputatorio quoque Exercitio deſideriis Studioſorum ſatisfacere pro viribus adnitetur; in omnibus ad illorum placitum & captum, Deo juvante, ſe accommodaturus, ne impenſi temporis quemquam pœniteat.

HENRICUS PETRUS Haberkorn/ *J. U. D. ejusdemq; Profeſſ. Extraord.* in publico ſublimem de ACTIONIBUS materiam more hactenus obſervato explicare perget, eâque feliciter ad finem perductâ, alias pariter difficiles uſui nihilominus inſervientes huic ſubnectet; Diſputationes quoque primam ſequentes, contra Cenſorem jurisprudentiæ inconſideratiſſimum Cyprianum Regnerum ab Ooſterga, conſcriptas, publicæ ventilation ſubjicere haud ſuperſedebit. Privatis inſuper collegiis tam Juſtinianis novis quàm *Vulteii* commodare, pro virili annitetur.

### *IN FACULTATE MEDICA.*

JOH. TACKIUS, *Phil. & Med. D. hujusq; Prof. & Archiater Haſſo-Darmſtadinus*, quousque in Aula commorabitur, ſcriptis in publicum emittendis, conſiliisque Medicis tàm Hippocratico, quàm Hermetico è fonte depromendis, ſuam Philiatris præſtabit opem. Ubi v. otium aulicum ipſi ad Academiam aperuerit viam, non ceſſabit, publicè privatimque pro Medicinæ Studioſorum ſpe & expectatione ſuam indefeſſam præſtare operam.

LAURENTIUS STRAUSS, *Med. D. & Prof. Ordinar.* eâ, quâ cœpit, methodo *Tabulas Medicas D. Coſteri publicè* explicare perget: *privatim* verò deſiderio & captui auditorum, uti hactenus conſuevit, ſeſe accomodabit. Ut vero, quantum utilitatis hactenus, ex privatim inſtituto Inſtitutionum examine perceperint, oſtendendi occaſionem Philiatris præbeat, eos ut ſecum in diſputatoriam palæſtram deſcendant, humaniter invitat, operam daturus, Deo benedicente, ut inſumti temporis minimè pœniteat.

MICHAEL Heiland/ *Phil. & Med. Doct. & P. P.* Purgantium Doctrinam, cujus curſum hactenus varia negocia ſuſflaminarunt, ad colophonem perducere annitetur, non neglectis interſimul more huc usque per æſtatem recepto Exercitiis Botanicis. Nec privatam operam deſiderantibus denegabit.

HIERONYMUS Nötel/ *D. & Profeſſor Extraordinarius*, quousque extra Academiam commorabitur, Scriptis & Conſiliis è Medicinâ depromendis ſuam Studioſis exhibebit operam. Poſtquam verò ad Academiam redibit, pro placito Dominorum Studioſorum facilè ſuam declarabit promptitudinem.

### *IN FACULTATE PHILOSOPHICA.*

KILIANUS RUDRAUFFIUS, *Ph. M. Log. & Met. Profeſſor*, in publicis Lectionibus primùm ad finem proferet errata Logica, poſtmodum tradet explicationem Regularum Logicarum & Metaphyſicarum frequentiorum. Publicè diſputando continuabit Logicam errantem, nec non errantem Metaphyſicam, ut & Philoſophiam Theologiæ ancillantem. In privatis reſpiciet deſideria Dn. Auditorum, Collegia offerens vel Logica & Metaphyſica ſive diſputatoria ſive explicatoria fuerint, in curſus ſuos; Vel Logicum Metaphyſicum in Regulas Logicas & Metaphyſicas, explicatorio-diſputatorium: Vel in *Caſtanei* Diſtinctiones cum notis *Marcſii* perpetuis Lectorium.

M. JOHANNES Weiß/ *Mor. & Civ. Prof. & h. t. Acad. Pro-Rector publicè* in exercitationibus Ethicis Liebenthalii pervenit usque ad diſp. XIV. de virtute heroicâ, quam V. D. unà cum reliquis ſuperaddet. In Politicis materiam de Politiâ & Democratiâ, de Republ. mixtâ, necnon de Majeſtate ejusque juribus in genere tradidit. Inſtante nunc æſtate, quoties otium ſuppetet, continuabit. Exercitia publica diſputatoria tam Ethica, quàm Politica nulli expoſcenti denegabit. *Privatim* quoque ad deſiderium Dn. Studioſorum pro virili ſuum faciet officium.

LAURENTIUS STRAUSS, *Med. D. Phyſ. Profeſſ. Ordin.* explicatâ *publicè Phyſicâ Hippocrateâ*, per hanc æſtatem, Deo volente, *Corollaria* ſingulis Diſputationibus annexa exponet; *privatim* verò *præcepta Phyſices*, ſive diſputando, ſive examinando explicabit, prout ipſis Auditoribus commodius gratiusque viſum fuerit.

PHIL. LUD. HANNEKENIUS, *D. & Prof. ord. publicè*, Auctore DEO, in Flori explicatione progredietur, eoque abſoluto, Præcepta oratoriæ explicabit. *Privatim* leget in Tabulam practicam novè typis expreſſam, quà apparatus exhibetur Epiſtolis conſcribendis ac orationibus habendis.

M. HEINRICUS PHASIANUS, *Græcæ Ling. Hiſtor. & Pöeſeos Prof. Ordinarius* cum DEO Ideam ſuam Univerſæ Hiſtoriæ continuabit. Et quoniam hactenus tres priores Monarchiæ expoſitæ ſunt additis ſynchroniſmis aliis quatenus rerum nexus admittebat, recta nunc *ad quartam ſimili methodo quoque abſolvendam ſiet tranſitus.* Ubi tamen non admodum immorabitur iis, quæ ab U. ſtatim C. per Reges & poſt per Conſules acta ſunt, ſed potiſſimam operam impendet rebus, poſt pugnam Pharſalicam Cæſaris & Succeſſorum auſpiciis in Imperio Romano geſtis. Sequetur autem Claſſicorum ductum, quorum probatiſſimi cujusvis leget veſtigia, uti in ſuperioribus quoque factitatum eſt. *In Græcis* Pindari enarrationem promovebit. *Privata* quoque Collegia inſtituet, quæ grata & deſiderata Hiſtoricæ pariter ac Græcæ literaturæ cupidis noverit.

FRIDERICUS NITZSCHIUS, *Phil. M. & Mathem. Prof. Ord.* Geometriæ ſimplicium parte reſiduâ, nec non Aſtrologiâ Saniore *publicè* abſolutâ, proximè V. D. Varenii Geographiam Generalem explicando tradet, quæque ibi injuriâ neglecta quâ perierunt non una, egregio libello, Deo juvante, reſtituet; Nec in Opticis vel Geographicis vel Aſtronomicis diſputando deſideraturis deerit. *Privatim* verò abſoluto Collegio Panto-Mathematico & Strauchiano Aſtrognoſtico Collegium quidem Mechanicum & Arithmeticum habere conſtituit, ad votum tamen Dn. Auditorum hîc faciet officium.

---

*GIESSÆ HASSORUM,*

*Typis* JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, *Univerſitatis Typogr. Ordin.*

# RECTOR
# ACADEMIÆ GIESSENÆ,
# FRIDERICUS, HASSIÆ LANDGRAVIUS, PRINCEPS HERSFELDIÆ, COMES IN CATTIMELIBOCO, DECIA, ZIEGENHAINA, NIDDA, SCHAUMBURGO, YSENBURGO & BUDINCA, &c.

## Omnibus Omnium Facultatum Studioſis

Clementiam & Favorem!

STudioſorum magnam eſſe dignitatem, nemo unquam ſanus in dubium vocare auſus fuit: Malevolorum autem judicia corrupta damnamus, ut ea nec refutatione digna judicemus. Propenſiori favore eos proſecuti ſunt plurimi Principum, Regum, Imperatorum, quorum ſub tutelâ tam tranquillè requieſcunt, ut averſantes ſe deſpicere optimo jure, eorumque vanæ ſine viribus iræ illudere queant. Norunt nimirum Divini ipſorum animi, potentiam abſque conſilio nullam; Conſilia ſana prudentiæ prolem eſſe, hanc verò aſſiduæ lectioni & exercitationi deinceps natales ſuos debere. Et ut unicum Fridericum I. Barbaroſſam memoremus, quàm amplè ille aureâ ſuâ Conſtitutione Studioſis proſpexerit, in omnium hactenus ore fuit. Omnibus Magiſtratibus injunxit glorioſiſſimus Imperator, ut ſecuri habitent, nemo eos injuriâ afficiat, aut ullum damnum ſentire faciat. Res eorum voluit ſecurè abſque vectigalium perſolutione hinc inde transportari, noluit eos onera quoque patrimonialia ferre. Lites eorum exortas non alibi, quàm coram eorum Rectore tractari, & quæ ſunt alia beneficia & privilegia plurima. Cùm autem Studioſum non ſolum efficiat nomen, neq; verba, ſed facta ejuſmodi immunitates mereantur; omninò convenit, ne ſint otioſi, vagabundi, luſores, helluantes, turbantes. Studioſos non turpe otium, non ſpurcas Veneris colluvies, ſed morum elegantiam, pietatem, probitatem ſectari decet: Honeſtas enim & ſtudium virtutis Studioſum facit iſtis privilegiis dignũ; Diligentia, & in tractandis ſtudiis dexteritas laudem meretur & dignitatem. Utinam, & vos, ò mei Cives! debitâ hoc perpenderetis induſtriâ! Utinam, & vos ex aſſe officio veſtrô ſatisfaceretis. Et facturos autem id vos eſſe, ſperare jubent anteriora tempora. Ne deſiſtite, ſed ſicut incepiſtis, ad metam virtutis omni niſu tendite. Facite & impoſterum, ut, immunitatibus iſtis vos digniſſimos eſſe, quiſque dijudicet. Ne turbate quæſo fortunatum Academiæ noſtræ ſtatum. Pergite Rectoratum noſtrum iſtâ felicitate impertiri, quā hactenus ex veſtrâ pietate, probitate, virtutum exercitatione percepimus. Sic clementiam Sereniſſimi Patris, ſic gratiam Mœcenatum, ſic favorem amoremque noſtrum perpetuò ad majora provocabitis beneficia. Obſecundate Præceptorum veſtrorum fideliſſimæ operæ, labores perbreves perennans ſubſequetur gloria. Ut autem ſciatis, quâ potiſſima in parte vobis præitura ſit Præceptorum veſtrorum fidelitas, id vos hic edocebit catalogus. Valete, & omnes in iſta ſtudia collocate vires. P.P. Gieſſæ ſub ſigillo majore, die 11. Sept. anno ſalutis M. DC. LXX.

### *IN FACULTATE THEOLOGICA.*

PETRUS Haberkorn/ *S. Th. D. Profeſſor P.* in lectionibus publicis continuabit Syſtema Theologicum; In diſputationibus publicis ad finem perducet Antiſyncretiſmum; In Collegiis privatis, ſive diſputatorio, ſive dictatorio accommodabit ſe deſiderio Studioſorum, nihil intermiſſurus, quod ad Studiorum Theologicorum profectum pertinebit.

JOHANNES NICOLAUS MISLERUS, *SS. Theol. D. Ebr. & Heb. Lingv. Profeſſ.* in lectionibus publicis pergam in Articulo de Peccato, de Lege & Evangelio &c. Privatim expoſiturus Articulos ſingulos, ſecundum ſeriem in Synopſi mea obſervatam. In literatura Hebraica & Chaldæo-Syriaca non deero in eo officio, pro Auditorum deſiderio.

PHIL. LUDOV. HANNEKENIUS, *D. & Prof. extr.* publicè hiſtoriã Eccleſiaſticã, ut cœpit, ita pertractare, Deo gratiosè volente, inſtituet; privatis etiã collegiis, ſi quæ deſiderabuntur, quantũ per vires conceſſas licuerit, ſubſidio erit Stud. juventuti.

### *IN FACULTATE JURIDICA.*

HARTMANNUS JACOBI, *D. Conſiliar. Haſſo-Darmſtadin. intimus, Regimin. & Academ. Cancellar. Profeſſ. P.* in Laboribus, Academiæ, Facultatis & Studioſorum emolumentum concernentibus, officio ſuo convenienter ſatisfaciet.

GREGORIUS TULSNERUS, J. U. D. *Conſiliarius Haſſo-Darmſtadinus, & Profeſſor Ordinarius, Facultatis Senior,* à *Sereniſſimo* Principe ac Domino, *DN.* LUDOVICO, Haſſiæ Landgravio, quoad prælectiones publicas rude clementiſſimè donatus; in aliis, Academiam & Facultatem concernentibus negotiis, quantum per vires corporis licebit, ſuo non deerit officio.

ANTON-HENRICUS MOLLENBECIUS *J. U. D. & Prof. Ordin.* præter lapſo ſemeſtri inſignem illum, *de ACTIONIBUS* Titulum publicis prælectionibus expoſuit, & abſolvit. Nunc hybernis menſibus, ob materiarum connexitatem, de reliquis, *ex Alieno contractu & delicto* quæ promanant, actionibus, ut & *de Extraordinariis*, ſive poſſeſſoriis judiciis, nec non *de Actionum vita & interitu*, quomodo, vel ipſo jure, vel ope exceptionum, iſtæ pereant, finiantur & impugnentur, Deo propitio, publicè tractabit, indicaturus ſimul, quid hodie in foro obtineat, quidve ab uſu receſſerit. In privatis quoque Inſtitutionum & Pandectarum collegiis, pari indefeſſo perget ſtudio, & inſuper diſputatoria, aliusve generis exercitia, pro Dnn. Studioſorum captu ac deſiderio promtiſſimè aperiet.

HENRICUS PETRUS HABERKORN, *J. U. D. Ejuſdemq; Profeſſ. & Academ. Syndic.* publicis lectionibus JUS Feudale plenis numeris dabit aſſequendum. Privatis collegiis ſe Dnn. Studioſorum deſiderio accommodabit, & ut poſcet ſcena, perſonam aget, cumprimis meſſem uberiorem in Studio Juris deſideraturis & ad forenſia feſtinaturis anſâ ad hæc ſuppeditare non morabitur, ſed electas à Nonnullis diſputationes Ummianas jucundo ac ſuavi illuſtrabit ductu.

NICOLAUS CHRISTOPHORUS Lincker/ *J. U. D. Prof. Extraordin. & Conſil. Sax. publicè* in illuſtrando *jure publico* perget: & *jus* Civile *Privatum*, ad Methodum Pandectarum, per *Diſputationes publicas* hebdomadales, uti cœpit, porrò diſceptabit. *Privatim* v. Collegii *Pandectar.* Explic. & Exam. partem poſteriorem hoc ſemeſtri abſolvet: aliis quoque Dnn. Studioſorum votis quoad poterit, non defuturus.

### *IN FACULTATE MEDICA.*

JOH. TACKIUS, *Phil. & Med. D. hujusq; Prof. & Archiater* Haſſo-*Darmſtadinus*, quouſque in Aula commorabitur, ſcriptis in publicum emittendis, conſiliisq; Medicis tàm Hippocratico, quàm Hermetico è fonte depromendis, ſuam Philiatris præſtabit opem. Ubi v. otium aulicum ipſi ad Academiam aperuerit viam, non ceſſabit, publicè privatimque pro Medicinæ *Studioſorum* ſpe & expectatione ſuam indefeſſam præſtare operam.

LAURENTIUS STRAUSSIUS *Med. D. & Profeſſ. Ordinar.* eâ, quâ hactenus uſus eſt, methodo in explicandis *Coſteri Tabulis* practicis *publicè* perget, ſingulisque Affectibus expoſitis Caſûs alicujus, ad propoſitum qui faciat, reſolutionem in gratiam auditorum φιλιάτρων adjiciet. *Privatim* v. poſtquam jam ſæpius *Inſtitut. Med.* tàm *examinando*, quàm *diſputando* abſoluit, nunc *Materiæ Medicæ* explicationem, (ubi ita Dn. Studioſis viſum fuerit,) adgredietur, methodumque præſcribendi formulas, ut vocant remediorum, illis, σὺν θεῷ, καθ δύναμιν oſtendet.

MICHAEL Heiland/ *Phil. & Med. D. & P. P.* per ſubſequens ſemeſtre hybernum Anatomica publicè tractabit, ad captum Auditorum ſe accommodaturus: Atque damnum reſarciet, quod ex abſentia Philiatris hactenus illatum videri poſſet, diebus feriatis ſectiones deſiderantibus ſubjecta ſuppeditantibus gratis inſtituet, iisque Chirurgiam In- & Transfuſoriam aliaque Recentiorum Inventa ad Examen revocabit. Nec privatam denegabit quærentibus informationem.

HIERONYMUS Nötel/ *D. & Profeſſor Extraordinarius*, quouſque extra Academiam commorabitur, Scriptis & Conſiliis è Medicinâ depromendis ſuam *Studioſis* exhibebit operam. Poſtquam verò ad Academiam redibit, pro placito Dominorum Studioſorum facilè ſuam declarabit promptitudinem.

### *IN FACULTATE PHILOSOPHICA.*

KILIANUS RUDRAUFIUS, *Ph. M. Log. Met. Prof. Pædagogiarcha*, in publicis lectionibus continuabit progredi per Loca Metaphyſica, privatim habebit Collegia diſputatoria Logica & Metaphyſica. Continuabit quoque ſuam Philoſophiam Theologicam publicè diſputando. Logicam errantem ad finem perducet. Et denovo allaborabit integrum & quantum fieri poteſt, perfectũ & accuratum publicis exercitiis diſputatoriis edere ſyſtema Metaphyſicum, prout Dnn. Reſp. ardor id promoverit.

M. JOHANNES Weiß/ *Mor. & Civ. Prof. & h. t. Acad. PRO-RECTOR* præteritâ æſtate Ethicam & Politicam explicando & diſputando, auxilio DEI, abſolvit. Inſtante hyeme eand. diligentiam in iisd. ſtudiis, quoties gratia DEI & ratio officii permittet, continuabit. Si prætereà nonnulli ipſius operam ad commoda ſuorum ſtudiorum promovenda expetierint, neque eam illis denegabit.

LAURENTIUS STRAUSS, *Med. D. & Phyſ. Prof. Ordin.* *Partem Generalem Phyſices*, per *præcepta* & *axiomata*, prout publicè diſputando cœpit, explicabit; *privatim* verò Naturæ Cultorum captui & deſiderio ut ſe accommodet, omnem, ſi vitam Deus conceſſerit, operam ſe daturum pollicetur.

PHIL. LUDOV. HANNEKENIUS, *D. & Orator Prof. Ordinar.* ſic publicè tractabit, D. V. Hiſtoriam Eccleſiaſticam, ut pariter inde fructus ad Studioſos oratoriæ nonnullus redundare poſſit. Collegium privatum vocum locutionumq; latinarum habebit, certisque titulis id ita diſtinguet, ut de materie aliqua diſſerere cupienti genuinæ ſtatim voces & materiei convenientes phraſes occurrant. Benedicat Chriſti gratia conatibus noſtris!

M. HENRICUS PHASIANUS, *Græc. Ling. Hiſtor. & Poeſeos Prof. Ordinarius*, per hyemen DEO dante cœptam *hiſtoriæ Romanæ expoſitionem urgebit*, ad ſeriem inprimis *Johan: Sleidani*, qui omnium manibus teritur, *cujus quoque privatam explicationem continuabit.* Porro *Pindari quæreſtam enucleabit*, nec in reliquo ſtudio Græco privatum ductum cupientibus denegabit.

FRIDERICUS NITZSCHIUS, J. U. L. Mathem. Prof. Ord publicè, Deo Volente, in Geographiâ Generali Varenii perget; Privatim verò partim Collegio Aſtronomico & Fortificatorio, ut vocant, partim etiam ſuper Jus Publicum, quod vel ſecundum Autoris alicujus ductum vel in ſuccinctis & perſpicuis Tabulis proponet, navabit operam. Nec ſi qui ex privato Jure ſive Inſtitutionum ſive Pandectarum ſuam deſiderabunt opellam, ipſis deerit.

*GIESSÆ HASSORUM,*
*Typis* JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, *Univerſitatis Typogr. Ordin.*

# ACADEMIÆ HASSO-GISSENÆ, RECTOR

# PETRUS Haberkorn/

## S. Th. D. & Prof. P. Reliquique Omnes & Singuli Profeſſores & Proceres Academici.

### *OMNIBUS ET SINGULIS STUDIOSIS*

S. P. P.

LAbor indefeſſus omnibus in quocunque Societatis humanæ ſtatu incumbit, ut inde rectè, conſentiente & præeunte Eccleſiaſte c. 6. v. 7. Timocles apud Stobæum dixerit: ἄνθρωπος ζῶον ἐπίπονον φύσει, id eſt *Homo naturâ eſt laborioſum animal.* Cui labori honeſtè agentium Deus ſuam benedictionem addixit: *Nec labor in Domino noſter inutilis erit*, ſed magna inde utilitas Bono publico accreſcit, & Gloria Dei per illum latè diffunditur, & fama noſtra propria etiam poſt illum permanet. Quòd ſi cum labore aliquid honeſtum fecerit, labor quidem abit, at honeſtum manet. Sicut è contrario ſic ubi cum voluptate aliquid fecerit, voluptas tranſit, turpitudo autem inde enata manet. Illa ergò *Eccleſia* eſt omni encomio extollenda, in quâ Antiſtites nulli labori parcentes nec ullo ſudore ſuperſedentes, verbum Dei prædicando, monendo, increpando, ſacramenta diſpenſando, & quævis officii Eccleſiaſtici ſui partes acriter exequendo, λυχνίας, ἀναλοῦσι instant, ut in eâ illud veterum proverbium locum habeat: *In templo nunquam eſt Sabbathum.* Illa *Republica, Dicaſterium* illud, *Regimen* iſtud, *Curia* iſthæc eſt omni commendatione digniſſima, in quâ Juſtitiæ patrocinium ſtrenuè exercetur, Salutis & commodi publici ſtudium fervet, ſontium pœnæ calent, inſontium verò defenſio ſpumat, Curæ pacis conſervandæ ſuccumt. *Oeconomia* iſta inſigni felicitate & fertilitate ſuâ abundat, & egregiam ſimul meretur laudem, quæ nulli otio in ſe locum concedit, ſed in quâ omnes operam dant, Pater officium ſuum omni cum diligentiâ peragit, Mater domus ſuæ ſummâ cum vigilantiâ præeſt, & uterque rebus ſuis augendis ſummoperè intendunt, Pater totum ac Agrorum cultura indeſinente labore perficitur, liberorum educationis ratio accuratiſſima habetur, & nulla hora ſine lineâ laboris alicujus vacantia permittitur, quò ſemper rei domeſticæ incrementum aliquod concilietur.

Illa eodem modo *Academia* laudatiſſimum eſt & nobiliſſimum Studiorum & Literaturæ ſolidioris emporium, ubi omnis generis Scientiæ, humano uſui accommodatiſſimæ, non ſolùm venales exponuntur, verùm etiam in horas diligentiſſimè docentur & expoliuntur. In quo, ut inquimus, Lectiones concatenato ſe invicem inſequuntur & excipiunt ordine, Auditoria tam docentium, quàm diſcentium ſudore incaleſcunt, Collegia Artium bonarum clamore & ſtrepitu perſonant, Diſputationes publicæ & privatæ incebreſcunt, Scripta publica olent lucernam, & omnia, ſpumantia ora & colla tenere videntur. In tale omnino Athenæum Parentes filios ſuos certâ eruditionis ſpe, ab ipſis conſequendæ, tutò tranſmittere, & ad illud Studioſi, qui ſolidæ Literaturæ cupidi ſunt ſe conferre poſſunt, confiſi, quòd à ſcopo ſuo haud aberraturi, verùm illum ad nutum ſuum apprehenſuri ſint.

Cùm ergò præteritæ hyemis ſpatio *in hâc Academiâ Haſſo-Gieſſenâ*, omnes horæ Lectionibus ſuis publicis uſque ad nundinas haſce vernales efferbuerint, ut vix una & altera, per negotia tamen graviora, intermiſſa fuerit: Inde nunc Lectiones inſtanti æſtate tractandas ad valvas hujus Templi, imò totius Mundi ſuſpendimus, parem pollicentes induſtriam, futuro tempore tam publicè, quàm privatim continuandam. Ne autem Nobis ſtrenuè laboraturis, Studioſi ſe ſegnes exhibeant, ſicut ſæpè hactenus contigit, ut, *qui taurum ſtimulant, multi, ſed rarus arator* fuerit; Ideò omnes ſinguloſque, qui ſtudiorum cauſſâ huc confluendo appulerunt, admonitos velimus, ne raritate, aut neglectu ſuo, Labores noſtros fruſtraneos efficiant, verùm ſuo fervore & audiendi deſiderio noſtram diligentiam excitent, eamque acriorem reddant. Hoc pacto Deum habebunt propitium, Parentib. Optimis ſatisfacient, & tempus unà cum ſumtibus rectiſſimè collocabunt. Dab. Giſſæ ſub Sigillo Maj. d. 9. April. Ann. 1671.

### *IN FACULTATE THEOLOGICA,*

PETRUS Haberkorn/ S. Th. D. & Profeſſ. P. p. t. Rector, quia præteritâ hyeme Tractatum de S. Euchariſtiâ, propter brevitatem temporis, Materiæ prolixitati non adæquatam, abſolvere non potuit, Hâc æſtate inſtante, quantum per negotia Academiæ publica, licebit, eandem Materiam continuabit, & ad finem perducet, ad alia Dogmata poſtea progreſſurus. Collegium Theologicum privatum Diſputatorium aperiet ſive Anti-Jeſuiticum, ſive Anti Calvinianum, ſive Anti Socinianum, pro Auditorum lubitu. Diſputationes publicas Theol. itidem continuabit.

JOH. NICOLAUS MISLERUS, *S. Theol. D. Ejus & Hebr. Ling. Profeſſ.* Theologiam Theticam exponet publicè; Expoſita privatim ſubjiciet ulteriori diſquiſitioni; Addituͤs Hebraicam libri Prophetici analyſin methodo fructuosâ.

PHIL. LUD. HANNEKENIUS, *SS. Theol. D. & Prof. Ord. publicè* Locos Theol. D. Chemnitii præleget. *Privatim* contra ſelectum quendam ab Auditorio Antagoniſtam diſputabit. Annuat gratia JESU CHRISTI!

### *IN FACULTATE JURIDICA.*

HARTMANNUS JACOBI, U. J. D. *Conſiliarius intimus Haſſo-Darmſtadinus, Regiminis & Academiæ Cancellarius & P. P.* Operam porrò dabit, ut per Dei gratiam in omnibus Academiæ & Facultatis publicam utilitatem promoventibus negotiis, officio ſuo ſatisfaciat.

GEORGIUS TULSNERUS, J. U. D. *Conſiliarius Haſſo-Darmſtadinus, & Profeſſor Ordinarius, Facultatis Senior,* à Sereniſſimo Principe ac Domino, DN LUDOVICO, Haſſiæ Landgravio &c, quoad prælectiones publicas rude clementiſſimè donatus; in aliis, Academiam & Facultatem concernentibus negotiis, quantum per vires corporis licebit, ſuo non deerit officio.

ANTON-HENRICUS MOLLENBECIUS, J. U. D. & Prof. Ordin. præterito ſemeſtri ea, quæ de connexâ Actionum materiâ exponenda reſtabant, publicè abſolvit, & pariter Tit. inſignem de publicis judiciis. Proximè, Deo annuente, ampliſſimam *Contractuum materiam*, utilitate & frequentiâ omnium principem, dilucidè explanabit, elegantiores hinc inde occurrentes quæſtiones, præprimis quæ in foro uſum habent, ſuccinctè enodaturus. Privatim denuò aperiet Exercitium Diſputatorium, ſemeſtri ſpatio abſolvendum; In quem finem elegit *Diſſertationes Schnobelianas*, ad quinquaginta libros pandect. ſingulari ſtudio & conciſâ brevitate ab Ampliſſ. Autore conſcriptas, & nunc paſſim in celebrioribus Academiis, uti meruerunt, receptas & uſitatas. Si etiam aliud deſiderabitur exercitium, Lectorium vel Examinatorium, faciet pro virili, ut cupidæ LL. juventutis deſiderio ſatisfaciat.

HENRICUS PETRUS Haberkorn/ J. U. D. ejus Prof. & Academiæ Syndic. In publicis lectionibus celebriores Juris materias ſecundùm ſeriem Pandectarum explicare perget, uno tamen vel altero cujuſq; hebdomadis die inſeret diſcurſus de intereſſe Imperii Romano-Germanici. Intra privatos parietes diſputatoria aperiet collegia, unum Sutholtianum ad Inſtituta, alterum Weſenbecianum ad Pandectas. Neque de cœtero intermittet deſideriis Dnr. Studioſorum in ſtudio Juris pro lubitu ſe accommodare.

NICOLAUS CHRISTOPHORUS LUNCKER, J. U. D. *Conſil. Sax. & Prof. Extraord.* abſolutâ per Dei gr. ad *Lampadii* ductum, integrâ *Juris Publ.* doctrinâ, inpoſterum, præmiſſâ jam brevi introductione, ad *Inſtitutiones Juſtinianeas, jus Privatum* exponet: additis ubique *Legum*, quas *abrogatas* vulgò appellant, *vindiciis. Privatim* Collegium novum *Pandectarum*, & ſi quibuſdam placuerit, *Feudale* etiam, vel *Publici Juris*, inſtituet.

### *IN FACULTATE MEDICA.*

JOH. TACKIUS, *Phil. & Med. D. hujusque Prof. & Archiater Haſſo-Darmſtadinus*, quouſque in Aula commorabitur, ſcriptis in publicum emittendis, conſiliiſque Medicis tàm Hippocratico, quàm Hermetico è fonte depromendis, ſuam Philiatris præſtabit opem. Ubi v. otium aulicum ipſi ad Acad. aperuerit viam, nõ ceſſabit, publicè privatimq; pro Medicinæ Studioſorũ ſpe & expectatione ſuâ indefeſſâ præſtare operã.

LAURENTIUS STRAUSS, Med. D. & PP. Practicas lectiones juxta ductum Tabellarum D. Coſteri, conſuetâ hactenus methodo, *publicè* continuabit: *privatim* Dnn. Auditorum captui & deſiderio ſeſe accomodare, εἰωθεῖ, ſtudebit.

MICHAEL Heylandt/ Phil. & Med. D. & Prof. Ord. tempori ſerviturus Vegetabilium ſimplicium Facultates Publicè exponet, nec negliget Eorundem ùt & aliarum Plantarum hîc naſcentium externam faciem locumque natalem opportuno tempore oſtendere. Quod ſc. Dn. Philiatrorum nonnullis Privata arriſerit Informatio, nec huic labori imponendo humeros ſubtrahet.

HIERONYMUS Nötel/ *D. & Profeſſor Extraordinarius*, quouſq; extra Academiam commorabitur, Scriptis & Conſiliis è Medicinâ depromendis ſuam Studioſis exhibebit operam. Poſtquam verò ad Academiam redibit, pro placito Dominorum Studioſorum facilè ſuam declarabit promptitudinem.

### *IN FACULTATE PHILOSOPHICA.*

KILIANUS RUDRAUFFIUS, Phil. M. Log. & Nat. Theol. Prof. P. p. t. Pædagogiarcha & Decanus, in Lectionibus Publicis doctrinam de cauſis exponet, & ſi fieri potuerit, ultima addet capita ex parte generali Metaph. reſidua: Perget in Philoſophia Theol. publicè diſputando eumque Tractatam cum Deo abſolvet. In privatis reſpiciet vota & deſideria Dn. Auditorum, præprimis autem collegium habebit Regularum & Axiomatum Logico-Metaphyſicalium.

M. JOHANNES Weiß/ Mor. Civ. Prof. Ord. *publicè* in Politicis materiam de poteſtate ferendi & abrogandi leges, conſtituendi Magiſtratus, recipiendi extremam provocationem &c, V. D. tradet; In Ethicis exercitationes recognitas diſputando, in quantum penes illum eſt, continuabit. *Privatim* verò Politicum diſputatorium, nec non Ethicum lectorio-examinatorium aperiet.

LAURENTIUS STRAUSS, Med. D. & Phyſ. Profeſſ. Ord. In explicandâ parte Phyſices ſuæ Generali *publicè* perget: *privatim* verò eas eliget exercitationes, quæ Dn. Auditoribus præ reliquis arridebunt.

M. HENRICUS PHASIANUS, *Hiſtoriarum & Eloquentiæ Prof. Ord.* expoſitionem Sleidani continuabit, ubi in hiſtoria Romana primùm ſe offeret *reſtauratio Imperii Occidentis* à Carolo M. facta. Quantum ad Oratoriam, reſolvet *Orationes in Livio occurrentes*, Et hæc quidem cum Deo proponentur publicè. Quod privata Collegia concernit, aperiet utrinque ea, quæ grata Auditoribus intellexerit & utilia.

FRIDERICUS NITZSCHIUS, J. U. L. abſolutâ præterito Semeſtri *Mechanicâ* doctrinâ *Architecturam Militarem* tam juxta antiquos quàm novos muniendi modos, ex fundamentis ſuis deductos publicè V. D. proponet. Privatim *Panto-Mathematicum* Collegium cupientium deſiderio ſatisfaciet. In Jure Privato elegantiſſimum *Dn. Strauch. Jenenſ. Antec. Syſtema Iuris Univerſi, XXIX. Diſſert.* traditum, cum Inſtitutionum Collegio Diſputatorio pertractabit.

DAVID CLODIUS, Ling: Oriental: & Græc: Prof. Ordin. æſtate proximâ, juvante JOVA, *publicè*, primum Vet: Teſt. librum, Geneſin quem vocant, aggredietur, eaque, quæ praxin Grammaticam & Philologiam ſpectant, enodabit: Pro hoc, bis ſingulis ſeptimanis, Evangelium Matthæi Græcum ſubſtituet, eodẽ illud modo tractaturus: *Privatim*: Collegium Hebræum Grammaticum habebit, quo fundamenta linguæ ſanctæ, breviter, at ſufficienter explicabit, ſubjuncto praxeos ſpecimine: Practicum aliud inſtituet, in uſum eorum qui præceptis jam imbuti ad perfectionem aſpirant, modo hactenus inſolito: Denique & Rabbinicum aperiet, in quo, præmiſſa introductione ad Rabbiniſmum, methodo ſupra fidem facili & perſpicua, Rabbinum aliquem quicunq; maximè arriſerit Auditoribus, expoſiturus eſt: Quod ſi Chaldaica, Syriaca, a. Arabica experi ſenſerit; huic quoque deſiderio non deerit, quin ex voto ſatisfaciet: In diſputando itidem ſive publicè ſive privatim, ſuam deſiderari diligentiam non patietur.

*GIESSÆ-HASSORUM*

*Typis* JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, *Academ. Typogr. Ordin.*

# ACADEMIÆ GISSENÆ
# RECTOR,
## TOTUSQVE SENATUS ACADEMICUS OMNIUM FACULTATUM STUDIOSIS, S. P. P.

QVod in communi hominum ſocietate, quæ auro & pretioſiſſimo cuivis pretium ſuum ſtatuit, nec opibus parari, nec ab ullo mortalium donari, nec vel caſu vel hæreditate contingere poteſt; ſed indefeſſo labore, ſummo ſtudio & opera tantum maxima acquiritur, ſolida Eruditio eſt. Proinde qui felicitatem ex hac enaſcentem in induſtria quoq; ſitam eſſe dixerit, à vero neutiquam aberraſſe cenſebitur, quod ejusmodi operoſam diligentiam viam ad vitam perfectam ſternere aſſerant viri olim & nunc inter celebratiſſimos reputati. Et quæſo quis beatitudinem hanc in hominem absque labore ſtatuet eſſe conferendam, niſi, qui è Poëtarum fabulis audeat aſſerere, cantum de cœlo datum eſſe Heſiodo, cum juxta Heliconem gregem paſcens cantantes Muſas obvias habuiſſet; aut quem illud de Epimenide Cretenſi ſomnium delectet, tradentium ſopore illum detentum beatum effectum eſſe? Sed non eſt illa è literatura orta felicitas Amaltheæ cornu divinitus tantùm immiſſum; neceſſe eſt hanc ad felicitatem adſpirantes vigiliis ſemper & laboribus diſtineri, & nunquam quieſcenti Ulyſſi aſſimilari, tantopere ab Homero ob inconcuſſam laborum actionumque patientiam decantato. Conferre interim naturam quoque Symbolum ſuum iis, qui clarum è literis & Eruditione nomen per orbem circumferre laborant, negari nequit, imo verò niſi quædam nobis conceſſa indoles fuerit, fruſtra erimus, & à Minerva deſtituti, cui ancillantem induſtriam jungamus neceſſe eſt, niſi noſtram navim ſine remige, lyram ſine cantu, ſine nervo arcum noſtrum velimus. Hic verò liberalis labor bino illo ſenſuum, oculorum puta atque aurium miniſterio abſolvitur. Illo quidem quando Bibliothecas luſtramus, & quæ primi bonarum artium inventores tradiderunt, quosque ingentes ſuæ pretium operæ theſauros nobis reliquerunt, evolvimus, & ita ſalutari mortuorum aſſidemus concilio. Hæc eſt illuſtris illa oracula fundens Phœbi cortina; hæc Minervæ ipſius apotheca; heic celebre Mercurii eſt ſalinum, unde candidiſſimos ſales, facultates omnes, & omnes ſcientiæ depromunt, unde id ſibi idoneus lector acquirit, ut ſuam non ſolùm ætatem bene tueatur, verum & omne ævum adjiciat ſuo, & quicquid ante ipſum fuit annorum ſibi acquirat, atque inter res pulcherrimas è tenebris alieno labore erutas ineffabili voluptate detineatur. Hoc verò quando Doctorum & vivæ vocis præcepta ſedula aure haurimus, quem in finem Academiæ ab Illuſtribus erectæ publicos Profeſſores alunt, à quibus, quæ ad omnigenam eruditionem parandam idonea fuerint, audias, atque ea percipias, quæ ad vitam non tam bene inſtituendam, quàm beatè transigendam conducant. Et iſta quidem fideli ore tradita ita percipies, ut quæ vix lectione menſtrua liceat aſſequi, hic unica hora ordine congeſta maximo compendio addiſcas, & majori in uſus tuos conferas utilitate. Vernum hoc tempus, *Cives Academici*, conſuetudinis Academicæ nos admonet, ut futuros labores & exercitia publico catalogo ſignificemus. Et quando ad ſperatam meſſem agrum ſuum providus agricola præparat, noſtrum quoque erit ſementim facere, ut maturos tandem Eruditionis fructus colligamus. En igitur hic publicè recluſas Muſarum tabernas, ſi amatores vos allicere, & propriæ neceſſitudinis poſſimus commonere! En vobis merces noſtras, nullo quidem veſtro diſpendio, fœnore verò ampliſſimo comparandas! Attrectate, ſeligite, in uſus veſtros convertite! Sic fieri ſolet, dicetis; res obvia. At ſcitis aliis in rebus finitimum voluptati faſtidium eſſe; hæc verò Eruditionis etiam ſæpiſſimè repetitæ oblectamenta diſplicere non poſſe, quin potius in ipſa ſatietate non nauſeam nobis, ſed novam appetentiam excitare. Imitamini Eruditorum illos, qui à Tiberio Cæſare cuſtodiæ traditi extremi ſupplicii loco habebant, quod cum libertate ſtudendi ſolatium ereptum ſibi eſſet, ac proinde viventes ſe efferri, ſpirantesque infodi putabant. Imitamini, inquam, hos, atque omne otium mortem eſſe, ac vivi hominis ſepulturam, opinione vana non decepti exiſtimate. Genium veſtrum defraudare nolite; adeſte, ſeligite, ut deliciis his fruamini! Hic vobis non tam promittitur, quàm repræſtatur ipſa, quod ſermoni vario linguam, & quod animum moribus egregiis attemperat. Hic quicquid in Hiſtoria varium, in Eloquentia ſublime, in Matheſi admirabile, in Philoſophia reliqua reconditum, in Medicina neceſſarium, in Juris ſcientia præluſtre, in Theologia ſacrum eſt, pleniſſima vobis lance offertur. Accedite ad lautitias & literarias dapes, quibus nullæ epulæ, nullæ ludorum aut aliarum rerum, quas in oculis gerere mundus ſolet, illecebræ ſunt conferendæ! His indulgete, his invigilate! Quid enim poſſet aut in præſens delectabilius, aut in futurum utilius excogitari, quam univerſum orbem ſine moleſtia & ſumptu mente permeare; auribus percipere & haurire, quicquid uſpiam præclarum eſt, & excellens; è Stoa præviis Ducibus in Academiam tranſire, ex hâc in Lyceum, & familiariſſime uti Platone, Ariſtotele, Theophraſto, Seneca, atq; aliis virorum inſignibus? Quid poſſet accidere jucundius, ac è ſpecula quaſi contemplari, regnorum ortus, progreſſiones, inclinationes; videre naufragia ſine metu; ſine periculo ſpectare bella: abditiora viſcera ſine fatigatione rimari; ſine repulſa ingredi ædes Principum; Sapientum conſiliis ſine cenſura intereſſe? Quid denique poſſet contingere beatius, quàm templorum ſacraria ſine ſacrilegio ſubire, & qua vera religione tremendum colatur Numen, animadvertere? Expoſita hic veſtra felicitas eſt, quam ut aſſequi vobis liceat per preces & induſtriam, calenti voto exoptamus! Valete. P. P. 23. Mart. A. 1673. ſub Sigillo Academ. Majori.

---

*IN FACVLTATE THEOLOGICA.*

PETRUS Haberkorn/ S.Th. D. & Profeſſ. P. per hyemem præteritam in Collegio privato Tomis II. Bellarmini, contra eum diſputando, abſolutis, ùt & in Lectionibus publicis finitâ Materiâ totâ de S. Euchariſtiâ, per æſtatem inſtantem, Deo dante, in Collegio privato reliquos II. Bellarmini Tomos, illos refutando, pertractabit, in Lectionibus publicis reliquos Articulos Theologiæ, v. g. de Vocatione, Fide, Juſtificatione, &c, perſpicuè & ſolidè explicabit & contra quoscunq; Adverſarios, pro ratione Syſtematis Theologici, vindicabit.

JOHANNES NICOLAUS MISLERUS, *S. Theol. D. Ejus & Hebr. Ling. Profeſſ.* in Jeſuitæ Maſenii medicat. Concord. Tractat. 1. loca reliqua, volente Deo, publicè abſolvet, methodo hactenus obſervata. Collegium privatum Diſputatorium, ut & Hebraicum Exegeticum, juxta ſeriem Articulorum fidei, inſtituet.

PHILIPPUS LUDOVICUS HANNEKENIUS, *SS. Theol D. & Prof. Ord. Stipen. Rei Ephorus & Eccleſiaſta* Publicas imminentis æſtatis Lectiones quæſtionibus dogmaticis & hiſtoricis gravioribus impendet explicandis certâ methodo, ut ſuæ quælibet ſeriei, etiamſi ſingulis horis utræque tractandæ, queant inſeri. *Privatim* contra Photinianos aut Papiſtas diſputabit, deſideratumq; à nonnullis Concionatoriũ exercitium inſtituet, largiente in omnibus vires animi corporisque Servatore noſtro Jeſu Chriſto.

*IN FACVLTATE IVRIDICA.*

HARTMANNUS JACOBI U. J. D. Conſiliar. intim. Haſſo-Darmſtadin. Regiminis & Academiæ Cancellarius P. P. Deô clementer annuente non ſolùm Conſiliis & Reſponſis, ſed etiam reliquis, quæ Officii ratio requirit, ſtudiis atq; curis, Bonum Publicum impigrè promovere perget.

ANTON-HENRICUS MOLLENBECIUS, J. U. D. & Prof. Ordin. præterito ſemeſtri materiam ſucceſſionis, tum ex teſtamento, tum ab inteſtato publicis prælectionibus abſolvit, & ſimul famoſiſſimum Tit. *de R. D. & A. E. D.* Proximè nunc, juxta ordinem, celebriores ſeqq. exponet materias: de *Servitutibus, Præſcriptionibus, Donationibus &c.* Privatis Collegiis & Feudorum & Pandectarum nuper ad finem perductis, denuo ſimilia, vel quæ grata atque utilia Auditoribus viſa fuerint, aperiet exercitia, præprimis ad Inſtit. & Pandectas diſputatoria.

NICOLAUS CHRISTOPHORUS Lincker/ *Jur. Dr. & Prof. P. Extraord.* in Lectionibus *publicis Criminalia* tractabit; *privatim* verò *Collegium Inſtitutionum Diſputatorium* inſtituet, vel *aliud* quoddam ex voto Auditorum.

*IN FACVLTATE MEDICA.*

JOH. TACKIUS, Philoſ. & Med. D. hujusq; Profeſſ. & Archiater Haſſo-Darmſtadinus, quousque in Aulâ commorabitur, ſcriptis in publicum emittendis, conſiliisque Medicis tàm Hippocratico, quàm Hermetico è fonte depromendis, ſuam Philiatris præſtabit opem. Ubi verò otium aulicum ipſi ad Academ. aperuerit viam, non ceſſabit, publicè privatimq; pro Medicinæ Studioſorum ſpe & expectatione ſuam indefeſſam præſtare operam.

LAURENTIUS STRAUSSIUS, *Med. D. & Prof. Ord.* Affectus Infimi præſertim Ventris viſcera p. n. infeſtantes ad ductum D. *Ceſteri* in *Tabb.* hactenus obſervatum, ita *publicè* explanabit, ut non niſi potiora, & ad praxin potiſſimùm facientia cum Auditoribus communicet. Quoad *privata* verò *Exercitia* Philiatrorum deſiderio deſtinatos labores accommodabit.

MICHAEL Heiland/ *Phil. & Med. D. & Prof. Ordinarius*, Publicè Humorum doctrinam Lunæ & Martis diebus continuabit; Reliquis verò duobus Facultates Vegetabilium, quæ Hortus præprimis Noſter Medicus colit, exponet, ſecutus ductum, quem antehac in ſponte naſcentibus obſervavit. Privatim quoque Dnn. Studioſorum Studia pro poſſe promovebit.

HIERONYMUS Nötel/ *D. & Profeſſ. Extraordinarius*, quousque extra Academiam commorabitur, Scriptis & Conſiliis è Medicinâ depromendis ſuam Studioſis exhibebit operam. Poſtquam verò ad Academiam redibit, pro placito Dnn. Studioſorum facilè ſuam declarabit promptitudinem.

*IN FACVLTATE PHILOSOPHICA.*

KILIANUS RUDRAUFF *Primæ & org. Phil. Prof. ac p. t. Pædagogiarcha*, in Logicis tradet ex lib. 2. & 3. ſelectiores materias, in Metaphyſicis in doctrina de DEO perget explananda, methodo, qua cœpit. Publicè habebit diſputationes, quæ pertinent ad Commentariolos Logicos & Metaphyſicos, illos abſolvendos, hos promovendos, nec non Philoſophiam ſuam Theologicam continuabit adaugere ac perficere. In privatis Collegia diſputatoria Logica & Metaphyſica pro votis Dnn. Auditorum inſtituet ulterius.

M. JOHANNES Weiß/ *Mor. & Civ. Prof. Ord.* in explicandis tabellis Politicis perget, & materiam *de Bello, Pace, Fœderibus, &c.* hac tempeſtate Dnn. Studioſis ſcitu valdè neceſſariam publicis Lectionibus illuſtrabit. Et cùm hactenus gratiâ DEI Exercitationes Ethicas recognitas publicè diſputando abſolverit, *Collegiũ Politico-diſputatorium* in univerſam Civilem Prudentiam per theſes & axiomata (methodo in exercitationibus citatis receptâ) publicè, quotiescunq; Dnn. Reſpondentium copia erit, proponet. *Privata* quoque *Collegia Ethica & Politica explicatorio-diſputatoria* pro lubitu Dominorum Commilitonum aperiet.

LAURENTIUS STRAUSSIUS, *Med. D. & Phyſic. Profeſſ. Ordin.* in Lectionibus *publicis*, Mythiſtoriam Phyſicam, ſeu *Fabulas Phyſicas* non paucas veritati reſtituere allaborabit: *privatim* verò tàm *examinando*, quàm *diſputando*, ubi ita Dominis Studioſis arriſerit, phyſica principia ac præcepta, DEO adjuvante, inſtillare conabitur.

M. HEINRICUS PHASIANUS, *Hiſtor. Oratoriæ & Poëſ. Prof. Ordin. ac p. t. Acad. Rector*, quantum per negotia Rectoralia licebit lectiones publicas proſequetur. Privatim quoq; Collegia Hiſtorica & Oratoria Dnn. Studioſis grata aperiet.

FRIDERICUS NITZSCHIUS Ph. & J. U. D. & Mathem. P. Ord. futuro ſemeſtri V. D. *Arithmeticam*, Vulgarem æquè ac Coſſicam ſeu Algebram *publicè* proponet; *Privatim* verò tam in cœptis Collegiis perget, quàm ſatisfaciet aliis operam ſuam deſideraturis. In Jure Civili Privato pro Dnn. Studioſorum captu pariter ac uſu Autorem pertractabit proficuâ methodo; In Jure verò Publico Brautlachti Epitomen explicabit.

DAVID CLODIUS, Ling. Orig. & Græcæ Prof. P. Ord. æſtate proxima, Linguam Græcam, publicè profitebitur, ejusque ortum, propagationem, mutationem, dialectos, & quæ Philologice in ea conſiderari merentur, explanabit; Quo peracto ſi quid reſtat temporis, difficiliora & exotica Teſtamenti Novi, enodabit. Privatas horas deſiderio atque optioni Dnn. Auditorum in univerſum relinquet: Diſputare itidem geſtientibus de materiis Philologicis operam ſuam promptiſſimè exhibebit.

---

*GISSAE HASSORVM,*
Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPELI, Typog. Ord. Acad. excudebat Nicolaus Schmidius.

# ACADEMIÆ GISSENÆ
# RECTOR,
## TOTUSQVE SENATUS ACADEMICUS OMNIUM FACULTATUM STUDIOSIS, S. D. P.

MEritò omnium memoriæ commendatur, quod providus ille Paterfamilias apud Heſiodum verſu primo & quingenteſimo Operum & Dierum præcipit: Οὐκ αἰεὶ θέρος ἐσσεῖται, ποιεῖσθε καλιάς.

Æſtas non ſemper fuerit, componite nidos.

Non enim ver conſtans eſt, nec flores Zephyrus continuò mulcet, ſed per illud in æſtatem, per hanc in autumnum itur, donec triſtis tandem ingruat hiems, nivibus mundi decorem ſepeliens, & glacie latè conſtringens, quicquid blando ſuo fotu ille mundi oculus Sol è telluris gremio produxerat. Igitur laudata illa Senis cura æſtatis benignitate utendum quidem, ſed tamen futurorum etiam rationem habendam, nec neceſſariorum parandorum negligendam eſſe occaſionem, familiæ ſuæ inculcatum vult, atque ut paretur æſtate, unde commode per aſpera hiemis tempora vivatur. Avicularum ſolertia eſt, nidulos ſuos ſtruere, in quos ſe recipiant, dum inclementior aura agros perflat. Formica in tempore ſibi victum quærit, Sapiente teſte, atque experientia comprobante; ridetq; ſecundùm veterum Apologum cicadæ ſegnitiem, ſoles quidem cantu celebrantem, ſed inedia, pariter ac frigore Brumæ tempore contabeſcentem. Æſtate, referente Poëta in primo Georgicorum,

- - - - exiguus mus
Sub terris poſuitq; domos, atque horrea fecit:
Atque oculis capti poſuere cubilia talpæ.

Minima hæc animalium ſunt, imò ex illis quædam vix talium nomine inſignienda, dant tamen hominibus virtutum documenta, quos nefas eſſet ab illis vel prudentia, vel induſtria vinci. Non ſemper ardet illa juventæ fax, ſed uti annus per grata veris initia, & per æſtatem laboribus aptam properat ad hiemem; ita per viridem ætatem paulatim devehimur in ſenium, triſte illud quidem, & multis difficultatibus obnoxium, ſed infelix plane, & non ferendum, niſi laborum per ſtatam ætatem parato fructu ſublevetur. Unde de hieme cogitandum ſuadet memoratus ille Paterfamilias, θέρευς ἔτι μέσσου ἐόντος, in tempore ſcilicet, & mediâ, ut loquitur, adhuc æſtate exiſtente. In omni quidem vitæ genere illud Heſiodi præceptum locum habet, maxime tamen illis curæ cordiq; eſſe debet, qui ad literarum ſtudia animos appulerunt. Hic vitæ aurora Muſis amica eſt, quâ deſidia atq; inertia transactâ, de reliqua ætate actum eſt, quam omnem metus torpor atque ineptiæ occupant. In aliis artibus, quæ manuum opera perficiuntur, non adeo officit primos adoleſcentiæ annos neglexiſſe, quin ſecundæ & tertiæ hic licet eſſe cum fructu negotioſis; imò verò quandoque extremæ ſenectuti, quod Socratis exemplum docet, quem nec tremula manus à cytharæ ſtudio reddebat impeditum. Præſens autumnus, dum ſua nobis dona exhibet, arboribus poma, uvas vitibus, & quæ per agros hortosque alia æſtatis ardor percoxit, ecce! non ceſſant Vobis, *Nobiliſſimi atq; Praſtantiſſimi Cives Academici*, plenâ ſatyrâ offerre Veſtri Doctores, quæ laborum ſtudiorumq; calidi ſudores pepererunt, quæ quidem per hiemem fruenda in hac Academia apponentur, uti in hac tabella publica legentibus ſe offerunt. Adeſte! ſeligite; atq; credite, ſi à vobis probè aſſumpta ritè concoquantur, non præſens tantùm tempus veſtrum hæc talia oblectare, ſed & ſequentia alere, ornareq; poſſe, imò verò in extremam veſtram ſenectutem ineffabilem ſuam utilitatem porrigere. Sic media hieme, inter medios Boreæ impetus, dum nivem glomerat Aquilo, dum glacies ſpem agricolæ altè contegit, veſtram meſſem colligetis. Quod, ut fiat in DEI benedicentis ſempiternam gloriam, & veſtram ſalutem, devotis precibus oramus. Valete. P. P. 7. Sept. Anno 1673. ſub Sigillo Acad. Majori.

### *IN FACULTATE THEOLOGICA.*

PETRUS Haberkorn/ S. Th. D. & Profeſſ. P. abſolutâ per æſtatem in Lectionibus publicis plenâ refutatione execrabilis Atheiſmi, ùt & in Collegiis privatis IV. Tomorum Bellarmini, impoſterum per hyemem inſtantem, in Lectionibus publicis aget de Electione & Reprobatione, & inde de reliquis Articulis; In privatis verò Collegiis inſtituet Refutationem Autorum Calvinianorum, maximè Wendelini, & ſi quid ulteriùs deſiderabitur, non deerit.

JOHANNES NICOLAUS MISLERUS, S. Th. D. Ejus & Hebr. Ling. Profeſſ. Si vires integras Deus conceſſerit, principaliores Articulos AntiPapiſticos methodo ſuccincta publicè pertractabit. Collegium privatum AntiCalvinianum inſtituet, in quo errores Adverſantium dictando ſolidè reſolventur; Hebraicum itidem Exegeticum additurus, ſecundùm loca de S. Trinitatis myſterio.

PHILIPPUS LUDOVICUS HANNEKENIUS, *SS. Theol. D. & Prof. Ord.* In *publicis* Lectionibus, Deo gratioſè opitulante, abſolvet Quæſtiones hiſtor. Eccleſ. *Privatim* autem Collegium diſputatorium in Examen Concilii Tridentini Chemnitianum aperiet; niſi magis arriſerint diſputationes in ſelectas ex Marco Anton. de Dom. de Republ. Eccleſ. quæſtiones; Deus ſuo Spiritu & gratià adſit per Chriſtum!

### *IN FACULTATE JURIDICA.*

HARTMANNUS JACOBI U. J. D. Conſiliar. intim. Haſſo-Darmſtadin. Regiminis & Academiæ Cancellarius P. P. Deo clementer annuente non ſolùm Conſiliis & Reſponſis, ſed etiam reliquis, quæ Officii ratio requirit, ſtudiis atq; curis, Bonum Publicum impigrè promovere perget.

ANTHON-HENRICUS MOLLENBECIUS, J. U. D. & P. Ordin. publicis prælectionibus primùm quæ *de jure patriæ poteſtatis* adhuc dicenda reſtant, abſolvet, poſtea ad alias illuſtres materias, uti *de Tutela & Cura*, ſimilesq; cumprimis uſum quæ habent, progreſſurus. Privatim denuò inſtituet Collegium *Inſtitut. Imperial.* tum Lectorium, tum Diſputatorium; nec non *Pandectarum* Examinatorium: & hoc quidem, ad centurias ſuas Diviſionum Juridicarum, quæ propediem longè auctiores, variis annotationibus Theoretico-practicis illuſtratæ, in publicum prodibunt. Daturus ſimul operam, ut unumquodque ſemeſtri ſpatio abſolvatur, nec minus Dnn. Auditores magnum inde ſtudiorum ſuorum ſentiant incrementum.

NICOLAUS CHRISTOPHORUS Lüncker/ J. U. D. & Prof. Publ. Extraord. in Lectionibus *publicis* ea, quæ ad *Criminalium* doctrinam pertinent, abſolvet, celebriores deinde Articulos *Juris Publici* proponet, atque *Diſputationes publicas* ad Pandectas ſtrenuè continuabit. *Privatim*, finitò per Dei gratiam Collegiò, ſuper *Notitia Imperii Bœcleriana* habitò, & Collegio *Inſtit. Imper. Diſputatorio*, novum inſtituet *Pandectarum* explicatorio-examinatorium, & ſi per alia licebit negotia, Collegium quoq; *Inſtitutionum* pariter explicatorio-examinatorium expetentibus aperiet.

### *IN FACULTATE MEDICA.*

JOH. TACKIUS, Philoſ. & Med. D. hujusq; Profeſſ. & Archiater Haſſo-Darmſtadinus, quousq; in Aula commorabitur, ſcriptis in publicum emittendis, conſiliisq; Medicis tàm Hippocratico, quàm Hermetico è fonte depromendis, ſuam Philiatris præſtabit opem. Ubi verò otium aulicum ipſi ad Academ. aperuerit viam, non ceſſabit, publicè privatimq; pro Medicinæ Studioſorum ſpe & expectatione ſuam indefeſſam præſtare operam.

LAURENTIUS STRAUSSIUS, *Med. D. & Prof. Ordin.* in explicandis H. C. Affectibus p. n. *publicè* perget, *privatim* verò deſiderio Dnn. Auditorum ut ſe accommodet, omnem operam dabit.

MICHAEL Heiland/ Phil. & Med. Doct. & Prof. Ord. inſtante hyeme Humorum Excrementitiorum Naturam, publicè exponet; Privatim verò deſiderio Dnn. Philiatrorum ſe accommodabit.

HIERONYMUS Nötel/ *D. & Profeſſ. Extraordinarius*, quousq; extra Academiam commorabitur, *Scriptis* & *Conſiliis* è Medicina depromendis, ſuam Studioſis exhibebit operam. Poſtquam verò ad Academiam redibit, pro placito Dnn. Studioſorum facilè ſuam declarabit promptitudinem.

### *IN FACULTATE PHILOSOPHICA.*

KILIANUS RUDRAUFFIUS, *Profeſſ. primæ & Org. Philoſoph. nec non Pædagogiarcha*, in lectionibus Metaphyſicis perget ad ea, quæ de *Angelis & Anima ſeparata*, ac ſeqq. capp. dicenda ſint: Præmittet autem illis diſcurſum quendam de infauſta illa pietate, quam non nemo ſibi, dum ad argumenta de immenſitate & immutabilitate pro præſentia vel adeſſentia DEI extramundana nihil reſpondere potuit, circa ſpatia imaginaria & ambidextras locutiones, rixoſè imaginatur, inque ea ſibi maximopere placere videtur, ut rejectâ noſtra & tot Academ. communiſſima ac ſolidiſſima ſententia ſuos ſibi adoret ſub ridiculo pietatis prætextu vitulos. In Logicis continuabit publicos diſcurſus de præcipuis materiis & capp. Logicis, & dum ſuperiori ſemeſtri ad Syll. usq; Modalē pervenit, inde progredietur ultra. In publicis ſuis diſputationibus Logicis & Metaphyſicis, nec non Philoſophiæ Theologicæ pro lubitu & deſiderio Dnn. Reſpondentium, non ceſſabit ſuam oſtendere alacritatē. Et privatim habendo Collegia ſuæ profeſſioni congrua, Logica ſc. & Metaphyſica, ſatisfaciet votis & petitis Dnn. Auditorum. Tantum non ceſſent illi ſuo ardore noſtra excitare ſtudia; induſtrii enim Præceptores induſtriam exigunt & amant Auditorum.

M. JOHANNES Weiß/ *Mor. & Civ. Profeſſ. Ord.* cùm tabellas Politicas B. Cellarii publicè legendo abſolverit, *in publicis* hoc inſtante ſemeſtri die Lunæ & Martis Compendium Ethicæ ſuæ recognitum V. D. explicabit; die Jovis & Veneris axiomata Politica ad calamum brevibus lineolis dictabit, eademq; latiùs poſtmodum declarabit, atque ſimul, datâ Dnn. Reſpondentium copiâ, diſputabit. *In privatis* Collegia Ethica & Politica, lectoria & diſputatoria ad Dnn. Studioſorum deſiderium habebit.

LAURENTIUS STRAUSS, *D. & Phyſic. Profeſſ. Ord.* Præcepta phyſica ita exponet *publicè*, ut præcipuas & utiliores controverſias, Veteres inter & Recentiores quæ agitantur, unà [illegible] reſolvat; *privatim* verò Collegium Phyſicū examinatorio-Diſputatorium, Dnn. Auditoribus, (Deo vitam & vires clementer concedente) ſe habiturum pollicetur.

M. HEINRICUS PHASIANUS, *Hiſtor. Oratoriæ & Poëſ. Prof. Ordin. ac pro tempore Acad. Rector*; quatenus Rectoralis Officii ratio permittet, publicis Lectionibus Florum explicabit, fuſiori rerum enarratione è Livio, atque, ubi hujus hiſtoria intercidit, ex aliis Romanorum Scriptorum aſſerenda; enucleandis item ſeorſim, quæ ad antiquitatem Rom. pertinent. Quæ privatim Collegia expetentur, Auditorum arbitrium diriget.

FRIDERICUS NITZSCHIUS, *Phil. & J. U. D. & Mathem. Prof. Ord.* Arithmeticâ tàm vulgari quàm Algebraicâ cum Deo *publicè* abſolutâ, Problemata Geometrica proponet, & quomodo absq; Inſtrumentis ad Geodæſiam aliàs adhiberi ſolitis, Geodætica Problemata abſolvi poſſint, docebit. Privatim Univerſam Matheſin iterum pertractare animus eſt. In Jure Explicatorio Diſputatorium Collegium, quod ſupra Univerſum Jus Privatum hactenus habet, continuabit & abſolvet. Et ſi qui vel Inſtitutionum, vel Digeſtorum, vel aliud Juris Collegium deſideraverint, quod ſibi vel Explicando, vel Examinando, vel Diſputando proponi velint, me ipſis haud defuturum eſſe ſpondeo.

DAVID CLODIUS, Ling. Or. & Græcæ Prof. Publ. Ordin. publice poſthac, futura ſcil. hyeme, vel in Græcis perget lectionibus vel Chaldaica atque Syriaca profitebitur, exſpectaturus quodnam magis gratum Auditorio fuerit: Privatas horas nulli certo determinabit, reſpiciet potiùs votum atq; deſiderium Dnn. Auditorum, quibus ſatisfacere pro viribus annitetur.

GISSÆ, Typis Joſephi Dieterici Hampelii, Acad. Typ. Ord. excudebat Nicolaus Schmidius.

# ACADEMIÆ GISSENSIS
# RECTOR
# TOTUSq; SENATUS ACADEMICUS
## L. B. A J.

DUm in vicinia Negociatores, è variis, diſſitis quoque terrarúm locis adventantes, lucri faciendi cauſa merces ſuas venales exponunt, ſolenne eſt huic Academiæ, quin & Statuta expoſcunt, ut & Illa ſuas, publicè appenſo futurarum operarum Academicarum Indice, palàm proſcribant merces, longè majoris æſtimandas, quam quicquid vel India dives, vel Arabia felix pretioſi ad noſtras transmittit oras. Sunt etenim Academiæ nihil aliud, quàm magna quædam Emporia, optimis utiliſſimisque mercibus abundantia, quæ & mentem ſapientia, & linguam eloquentia, & vitam communem omnis generis virtutibus exornant, ea denique cumulatè ſuppeditant, ſine quibus aut nullatenus, aut non ſatis benè beatèque, ſive Nobiscum agamus, ſive cum aliis converſemur, vivere poſſumus. Neque enim adeò Paradoxus habendus, qui exiſtimaverit extra Academiam, atque præcepta Academica nullam eſſe veram vitam. Hinc haut mediocrem meretur admirationem, reperiri non dicam inter illos, quos Naturæ defectus obtuſos, aut Culturæ neglectos reddidit barbaros, ſed quam maximè adhuc inter hos, qui ingenii ſagacitate gaudentes literis excolendis unicè dicati, & inſcitiæ debellandæ cauſa Noſtræ concrediti fidei ſunt, quibusque hæ merces vel eo nomine quam maximè caræ eſſe debebant, ſic contemnentes eas atque aſpernantes, ut haut exiguus Eorum numerus, ne gratis quidem aut parvi proſtantes, attingere dignetur; Tanta eſt in Auditoriis publicis ſolitudo, tàm rara & exigua in Collegiis privàtis frequentia. In Cauſas hujus calamitatis Academicæ, futuram Barbariem certo minitantis, pluribus inquirere, præſentis inſtituti ratio non patitur. Noſtrarum potius eſt partium, de ſolita atque debita diligentia nil quicquam remittere, certà ſpe freti, fore ex cœtu Civium Noſtrorum nonnullos, qui Eruditionis & Doctrinæ veras atque genuinas merces ſibi comparare ſatagent; In quorum gratiam hancce Tabellam, futuras Noſtras operas Academicas exponentem, publicè appendere voluimus. P.P. Domica Judica, Anno reparatæ ſalutis cIↄ Iↄc LXXVI.

### *IN FACULTATE THEOLOGICA.*

PETRUS Haberkorn/ S.S.Th.D.& Prof.Publ. Quantum per valetudinem licuerit, officio ſuo non deerit.

JOHANNES NICOLAUS MISLERUS, S.Theol.D. Ejus & Hebr. Ling. Profeſſ. In Lectionibus publicis quæſtionem aliquam hoc ſeculo maximè controverſam, Deo volente, ventilandam proponet, adductis Adverſariorum verbis, ſolida cum reſolutione, ex dictorum S.Scripturæ fontibus deducta. Privatim Collegia vel explicando vel diſputando, pro Auditorum deſiderio, inſtituet.

PHILIPPUS LUDOVICUS HANNEKENIUS, SS. Theol. D.& Prof Ord. DEO gratiam largiente & in omnibus clementer adjuvante, Lectionibus pariter ac Diſputationibus publicis Adverſariis nequicquam ringentibus & allatrantibus, Devia Mareſiana monſtrare continuabit. *Privatim* autem diſputatorium habebit collegium contra Photinianos & Arminianos, niſi deſiderium Unorum Auditorum aliò mentem abſtrahat; & in Homileticis methodum haud infrugiferam præibit.

KILIANUS RUDRAUFF, *D. & Prof.Theol.Ordin.* in lectionibus publicis, quas primis ſeptimanæ diebus, habebit, tractabit præcipuas qq.Theol. conferendo & differendo ſuper illis cum Dnn. Auditoribus, ad modum Collegii diſputatorii publici, typo quoque deſcriptis, ſi placuerit Dnn. Diſputaturis, 88. atque qq. cum aliquali apparatu neceſſariaque inſtructione in medium proferendis. Collegium verò diſputatorium ſyſtematicum, cum DEO, continuandum maturè abſolvet.

DAVID CLODIUS, *SS.Theol.Profeſſor Extraordinarius*, futuro ſemeſtri æſtivo, *publicè*, bono cum DEO, *in expoſitione Prophetæ Hoſeæ*, ea, qua elapſa hyeme uſus eſt methodo, *perget*; *Privatim*, vel *Collegium Anti-Judaicum*, vel *dictorum difficiliorum Veteris Teſtamenti Explicatorium*, vel *Catecheticum* aliquod, aut *Synopticum Univerſæ Theologiæ*, in gratiam tyronum, aperiet, non denegaturus quoque ſuam operam, quibus diſputando ſeſe exercere, volupe fuerit.

### *IN FACULTATE JURIDICA.*

JOHANNES STRAUCHIUS, D. Conſiliarius Haſſiacus, Pro Cancellarius, Anteceſſor primarius & h.t Decanus Ordinis Juridici, Statutis Academicis obſecundaturus in Inſtitutionibus Juris-publici, jure perſonarum publicarum ad umbilicum jam deducto, inde ad jus rerum publicarum pergetur: Sed & materiam Regalium, ad legem ſtatutorum, Diſputationibus publicis pertractabit & privatâ induſtriâ in Conſtitutiones Imperii Imperante Karolo V promulgatas commentabitur.

ANTON-HENRICUS MOLLENBECIUS, J.U.D. & Prof. Ordinar. in Diſſertationibus *Schwobelianis*, quas non ita pridem Rectorali munere depoſito, publicè explicare cœpit, progredietur; & quoties aliquam ex illis prælegendo abſolverit, repetitionis & examinis loco eandem Diſputatoriæ palæſtræ committet. Privatim verò continuabit, atque Deo clementer opitulante ad finem perducet *Pandectarum* collegium; commodaturus quoque operam ſuam in aperiendis novis Exercitiis *Inſtitut. Imper. & Iuris Feudalis*, aliisve, quæ à Dnis Studioſis, cupidis LL. cultoribus, deſiderabuntur ſive Lectoria fuerint ſive Diſputatoria.

FRIDERICUS NITSCHIUS, Ph & J U D. hujusque Prof.Ord. Publicè, V. D. Titulum Digeſtorum de Reg Jur. maximè utilem & neceſſarium, methodô hactenus conſuetâ, eâque fundamentali ulterius explicando tradere, quemadmodum & in Collegio ad Pandectas Diſputatorio perget. *Privatim* etiam Collegium Practicum ad Brunnemanni Proceſſum Civilem continuabit, & eum non minus ac Criminalem, ſi & hunc pertractare Dnn. Auditoribus animus erit, abſolvet. De novo aperiet Collegium, quodcunque ſive Juris Publici ſive Privati deſideraverint Nobb. Dnn. Studioſi.

NICOLAUS THILENIUS, J.U.L. & Prof. Extraordinarius, *publicè* Locamerianas quæſtiones explicando ac diſputando continuabit; *Privatim* Inſtitutiones Juſtinianeas, ac Res quotidianas ſive Aurea Biccii præleget, inque cæteris Juris partibus operam ac ſtudia ſua deſideraturis non deerit

### *IN FACULTATE MEDICA.*

JOH. TACKIUS, Phil & Med. D. hujusq; Profeſſ. & Archiater Haſſo-Darmſtadinus, quousque in Aula commorabitur, ſcriptis in publicum emittendis, conſiliisque Medicis, tàm Hippocratico, quàm Hermetico è fonte depromendis, ſuam Philiatris præſtabit opem. Ubi verò otium aulicum ipſi ad Academ. aperuerit viam, non ceſſabit, publicè privatimque pro Medicinæ Studioſorum ſpe & expectatione ſuam indefeſſam præſtare operam.

LAURENTIUS STRAUSS, *Med.D. hujusq. & Phyſ. Profeſſor Ordin.* Abſolutâ de Febribus doctrinâ, de morbis Infantium *publicè* tractabit; *Privatim* verò captui & deſiderio diſcentium ſeſe accommodabit: ubique cum Veterum dogmate, Recentiorum quoque ſententias propoſiturus; Deus gratiam, viresque concedat, ut omnia feliciter!

MICHAEL Heyland/ Phil. & Med. D. & Prof. Ordinarius, p.t. RECTOR, ſi negotia publica conceſſerint, telam orſam Publicè continuabit; Nec Privatam operam deſiderantibus pro poſſe denegabit.

HIERONYMUS Kötel/ *D. & Profeſſ. Extraordinarius*, quousque extra Academiam commorabitur, Scriptis & Conſiliis è Medicina depromendis, ſuam Studioſis exhibebit operam. Poſtquam verò ad Academiam redibit, pro placito Dnn. Studioſorum facilè ſuam declarabit promptitudinem.

### *IN FACULTATE PHILOSOPHICA.*

KILIANUS RUDRAUFF D. Phil. Prim. Profeſſ. & Pædagogiarcha, in Lectionibus publicis Metaphyſicis perget & cum jucundiſſima non minus quàm fructuoſiſſima de cauſis doctrina reliqua quæ in parte generali reſtant, tractabit. In privatis collegiis ea methodo qua cæpit, Collegium Metaphyſicum quæſtionarium, abſolvet, & Logicum examinatorio diſcurſivum inſtituet. In diſpp. ſuis Metaphyſicis publice habendis pro copia & lubitu Dnn. Studioſ. induſtriam offert & promittit.

M. JOHANNES Weiſs/ *Mor. & Civ. Prof. Ord. & Facult. Phil. Decanus*, cùm doctrinam de jure pacem & fœdera pangendi, nec non de poteſtate Majeſtatis circa ſacra publicè legendo abſolverit, *in publicis* hoc inſtante ſemeſtri, materiam de jure cudendi monetas, vectigalia & tributa imperandi &c. V. D. pertractabit; atque ſimul, datâ Reſpondentium côpiâ, diſputationes Politicas continuabit. *In privatis* Collegia tum Ethica, tum Politica pro placito Dnn. Studioſorum habebit.

LAURENTIUS STRAUSS, *D. & Profeſſor Phyſic. Ordinarius*, in lectionibus *publicis* exponet Iſagogen ſuam Phyſicam; *Privata* v exercitia Diſcentium relinquit votis: in quacunque ſeſe exercere velint Palæſtrâ Naturæ cultores, ſive *explicatoriâ*, ſive *diſputatoriâ*, ſive etiam *examinatoriâ*, fidem, diligentiam, ſtudiumque ſuum, ut experiantur, operam καδʹδιωγμιν daturus.

M. HEINRICUS PHASIANUS, *Hiſtoriarum, Oratoriæ & Poëſeos Prof. Ordin.* Suetonii enarrationem cœptâ methodo publicè proſequetur. Collegia autem privata, tam Hiſtorica, quàm Oratoria, uſui inprimis & deſiderio Dnn. Studioſorum accommodabit.

DAVID CLODIUS, Ling Orient. Profeſſ. Ordinarius, *publicè*, poſthac in *expoſitione Grammatices Hebrææ*, adjunctis iis quæſtionibus, quæ circa hanc moveri ſolent, pergere conſtituit; *Privatim* verò, vel *Rabbinicum*, vel *Philologicum*, quo quæſtiones hoc ſeculo in Philologia maximè controverſæ, per certas theſes proponantur & ventilentur, habebit, vel, ſi quid arriſerit aliud Auditoribus, curabit & efficiet, ut illorum deſiderio ex aſſe ſatisfiat.

BALTHASAR MENTZERUS, Mathem P.P *publicè* Geometriam docebit, *privatim* Dnn. Auditorum deſideriis ſatisfacturus.

GIESSÆ, Typis FRIDERICI KARGI... Academ. Typogr. Ordinarii.

# ACADEMIAE GISSENSIS RECTOR, TOTUSQ. SENATUS ACADEMICUS

## L. B. A. J.

NUdi ex utero matris egredimur, nudi corpore, nudiores Anima. *Corpus involucrum ſuum Secundinas, ſi non omnino ſemper affert ſecum prodiens in hanc lucem*, habuit tamen clauſtris maternorum viſcerum. Anima vero, pulcherrima illa divinæ imaginis ſtola per lapſum primorum Parentum orbata, nihil habet, unde ſuam nuditatem velare poſſit. Et tamen ſicut hiſtriones in ſcenam, ſic Nos in hunc terrarum ſpecioſum orbem ingredimur, acturi unusquisque, Deo & ſanctis Angelis ſpectantibus, perſonam ſuam. Merito ergo ut hiſtrionum prima cura eſt veſtimentum ſibi congruum aſſumere: Ita & Nobis videndum eſt ante omnia, ut ſic veſtiamur, quemadmodum *decet acturos fabulam maxime ſeriam*. *Ac corpori quidem de Tegumento facile proſpici poſſe vel Protoplaſtorum Hi*ſtoria docet, qua novimus, ſolis tunicis pelliceis & pudori fuiſſe conſultum, & honeſtati & neceſſitati. Neque etiam in hac parte nimia ponenda opera. In anima vero exornanda nulla eſſe poteſt ſuperflua diligentia, ſed omnis omnino cura eo dirigenda, quo vero *illa* amiciatur ornatu. Nihil jam dicemus de nuptiali veſte, ſine qua nefas eſt inter Summi Regis convivas comparere, niſi in tenebras exteriores ligatis manibus podibusq; abjici quis velit. Eſt alia præter illam Animæ Noſtræ nuditas, in quam & ipſam à prima Nativitate patemus, cujus intuitu Philoſophorum ſummus Ariſtoteles Mentem Noſtram nudæ comparavit tabulæ. Nihil enim earum Scientiarum & Artium, genuini illius atque veri ornatus, quo dignitatem ſuam homo, quà animantibus ceteris longe antecellit, tueri poteſt, inſcriptum afferimus ex utero, ſed ignari rerum omnium hocce mundi Theatrum intramus, ut haut multum à vero aberraſſe videantur, illi, *qui primis infantiæ annis non hominis, ſed bruti animantis vitam Nos vivere aſſeruerunt*. Adeo nihil fere, quo à mutis pecudibus diſcerneremur, ſtupor ille congenitus Nobis reliquit. Quo ergo hac nuditate eluctemur, mentemq; Noſtram variarum ſcientiarum pulcherrimo involvamur amictu, atque ſic Animæ Noſtræ, ſummam, quantum in viribus Noſtris eſt, conquiramus autoritatem, omnem Noſtram curam, omnemq; operam collocare convenit. Maxime autem omnium in id incumbere decet illos, qui vitam Academicam agere debebant, ne Facultatum & annorum irreparabilia diſpendia paſſi tandem ſeneſcentibus annis ſerio, quamvis nimis ſerò, turpiter deperditum cum indigne aliquando & effuſo impenſis ſumtibus tempus irrito & fruſtraneo conatu gementes deplorent; Nos, quòd Noſtri eſt officii, in Veſtra, Cives Academici Lectiſſimi, nuditate velanda, ſtrenue exequemur, neç facile permittemus, ut in Nos ulla transferatur culpa, ſi qui nudiores ad Suos aliquando fuerint reverſi. Quem in finem ſequentem publicamus Catalogum, ut quilibet ſuæ nuditati occurrere poſſit, modo velit. *DEUS laboribus noſtris ex alto benedicat.* *P. P.* Nundinis Autumnalibus ad finem properantibus Anno cIↄ Iↄc LXXVI. Sub Sigillo Academiæ Majore.

### *IN FACULTATE THEOLOGICA*

JOHANNES NICOLAUS MISLERUS, S.Theol. D. Ejus & Hebr.Ling.Profeſſ. Articulum de Perſona Chriſti, volente Deo, per theſin & antitheſin contra quosvis Adverſarios, brevi ac perſpicua methodo, publicè pertractabit; In Collegio privato principaliora Scripturæ loca de Chriſto, ex fontibus deducta ad ulteriorem diſquiſitionem diſputando proponet.

PHILIPPUS LUDOVICUS HANNEKENIUS, SS. Theol. D. & Profeſſ. Ord. Publicis Lectionibus de Neceſſitate unius Religionis porrò inhærebit; Privatim collegia pro placito Domini Auditorum aperiet, & præſertim annuet deſiderio nonnullorum collegium controverſiarum Hiſtoricum expetentium. Adſit JESUS nobis ſui Spiritus auxilio!

KILIANUS RUDRAUFF, SS. Theol. D. & Profeſſ. Ordinarius, in publicis Lectionibus, qua cæpit Methodo perget proponere theoriam Theologicam & in ea tradere ſeriem atque *diſtinctionem credendorum, ſymbola* potiora, Religionum varietatem ac diſcrepantiam, &c. ſpeciatim verò Judaicæ, Mahometanæ, Papiſticæ, Socinianæ, Græcorum & Reformatorum expanſionem, quâ abſolutâ, aggredietur articulum de S. Scriptura, & qui pro ratione temporis abſolvi poſſunt alii. In privatis Collegiis reſpiciet Dn. Auditorum deſiderium, *præprimis vero* locos Theologicos è potioribus N. T. fundamentis adſtruet adductis & explicatis in quolibet tractando loco ſelectioribus dictis. In Metaphyſicis continuabit publice diſputando Collegium Inſtitut.

DAVID CLODIUS, S. Theol. Extraord. Profeſſ. ea qua cæpit Methodo, tam publice quam privatim Loca difficiliora Veteris Teſtamenti explicabit; Sin alia adhuc audire volupe fuerit Dn. Auditoribus, modo mentem aperuerint, efficiet ut eorum deſiderio ſatisfiet.

### *IN FACULTATE JURIDICA.*

JOHANNES STRAUCHIUS, D. Horâ X. matutinâ non ſolum Inſtitutiones Juris publici continuabit: Sed & quibus diebus à lectionibus publicis ceſſatur, jus forenſium controverſiarum, quæ hoc maximè tempore forum exercent, per rationes dubitandi & decidendi tractabit. Denique feriatis diebus poſt ſacra peracta vacabit Dn. Studioſis, de re publicâ, literariâque nec non ſtudiorum cujusque ſuorum ratione conſultaturis: Eosque à patellariis ad majorum gentium doctores manu ducet.

ANTON-HENRICUS MOLLENBECIUS, J.U. D. & Profeſſ. Ordin. in publicis prælectionibus & diſputationibus *Pandectarum* Schnobelianis, D. V. progredietur: Et quia amant alterna Camenæ, ſingulis ſeptimanis, unam vel alteram horam impendet *Differentiis Juris Veteris & Noviſſimi*, ſecundum *Novellarum* ſeriem ſuccinctè & perſpicuè exponendis. Privatim quoque in Collegiis & *Lectoriis & Diſputatoriis*, quæ pro placito Dnn. Studioſorum aperturus, ſuam indefeſſam præſtabit operã.

FRIDERICUS NITZSCHIUS, Phil. & J. U. D. P. P. Ord. *Publicè* potiores & Cardinales Leges, in quibus quaſi ſedes eſt materiarum Juris, ſecundum Ordinem Digeſtorum fundamentali methodo explicare B. C. D. incipiet & in Diſputationibus Juris Controverſi ad Pandectas perget. *Privatim* abſoluto Collegio Practico ad Proceſſum *Brunnemanni*, inſtanti ſemeſtri etiam Privatiſſimum *Struvianum* abſolvet, *Weſenbecianum* verò continuabit. De novo Collegium Pandectarum ſive *ad Weſenbecii Paratitla* ſive *Dn. Struvii Syntagma* Lectorio-Examinatorium quemadmodum & Collegium Juris Feudalis *ad Schnobelium* habebit.

NICOLAUS THILENIUS, J.U. Lic. & Prof. Extraord. publicè materiam Actionum declarabit, privatim Inſtitutiones & Digeſta prælegetac diſputabit, inque cæteris Juris partibus deſiderio Dnn. Studioſorum ſatisfaciet.

### *IN FACULTATE MEDICA.*

LAURENTIUS STRAUSSIUS, Med. D. & Profeſſ. Ordinarius, cum, prout animô conſtituerat, *Morbos puerorum publicis* exponere prælectionibus præteritâ æſtate, ob valetudinem imbecilliorem, haut valuerit, nunc, per DEI *gratiam priſtinæ reſtitutus incolumitati*, idem argumentum, inſtanti hyeme reſumet, & καθ’ ἡμέραν pertractabit: *privata* autem Exercitia Dnn. Studioſorum deſideriis captuique accommodabit, ubique operam daturus, ut excitans Auditor ſtudium expectatione ſuâ minimè excidat. Jova juvet, & integras animo corporique concedat vires!

MICHAEL Heyland/ Phil. & Med. D. & Profeſſ. Ordinarius, p. t. RECTOR, quam primum munus Rectorale permiſerit, Oſteologiam Pathologicam Publice continuabit. Privatim vero Dnn. Philiatrorum deſideriis veliſicabitur.

LUDOVICUS CHRISTIANUS TACKIUS, Med. Lic. ejusdemque in hâc Academia Profeſſor Extraordinarius, Lectionibus Publicis JOHANNIS JONSTONI IDEAM MEDICINÆ PRACTICÆ pertractabit, & quæ ad enodationem cauſarum morbificarum accuratius afferri neceſſe eſt, ex Hippocratis Medicorum Patris aphoriſtica doctrina, & quod dignum ſanitate hominis reperitur alibi, ſolicitè huc afferet. Concedet de reliquo ſe Totum deſideriis Dominorum Studioſorum, & privatim ipſorum operam, in docendis artis medicæ fundamentis & Inſtitutionibus diſcendis, non *ſupervacuam*, pro viribus adimplebit. Efficiat æternum omnis ſapientiæ Numen Deus, ut contendenti in boni publici promotionem, primitiæ laboris Academici creſcant in augmentum fructus innumeri, & ſacra Hygeæ Cohors & docta juventus obtineat emolumentum ingens de Spiritu ejus, qui ſortem ſuam non aliter compleri optat, quàm cùm ſemper utilis & optima ſtudioſæ ſedulitati deſegerit.

### *IN FACULTATE PHILOSOPHICA.*

M. JOHANNES Weiſs/ Mor. & Civ. Profeſſ. Ord. Facult. Phil. Senior, & p. t. Decanus *publicè* diebus Lunæ & Martis compendium Ethicæ ab ipſo recognitum diebus vero Jovis & Veneris Collegium Liebenthalii Politicum B. C. D. explicare conabitur. *Privatim* quoque collegia lectoria & diſputatoria Dominis Commilitonibus grata auſpicabitur.

LAURENTIUS STRAUSSIUS, Medic. D. & Prof. Phyſic Ordin. partem Compendii phyſici Generalem *publicè* explicabit, utiliora ubique & ſelectiora propoſiturus: *Privatim* vero ea adornabit exercitia, quæ præ reliquis à Dn. Studioſis deſiderari intelliget.

M. HENRICUS PHASIANUS, *Hiſtoriarum Oratoriæ & Poëſeos Prof. Ordin.* Hiſtoriæ Auguſtæ expoſitionem, prævio Suetonio, publicè continuabit; ut digitum ſimul ad Antiquitates, & alia in terſo hoc Scriptore occurrentia, ad faciliorem Ejus intellectum, intendat. Privatim tum in utraque hiſtoria, tum in ſtyli exercitio, ductum Ejus deſiderantibus ſatisfacere omni opere adnitetur.

DAVID CLODIUS, LL. Orig. Profeſſ. Ordin. publice poſthac *Syntaxin Hebræam* pertexet, *eo ſtudio* & cura ut Hebraiſmis falſis larva detrahatur, veri autem *ſuis roborati aſſent fundamentis*: *Privatim* vel Rabbinicum aliquod Collegium vel Biblicum, vel quodvis aliud, pro captu & arbitrio *Dn. Auditorum habebit.*

M. BALTHASAR MENZERUS, Mathematum Profeſſ. Ordin. Lectiones Geometricas, quas ſequior ſuperiori æſtate valetudo ſufflaminavit, publicè continuabit. Privatim priora dictâ modò causâ interrupta, aliaq; ad votũ Dnn. Auditorũ directa Collegia aperiet, & utrobiq; operam ſuam, σὺν Θεῷ rite & ſolide comprobabit.

M. JOH. DANIEL ARCULARIUS, Log. & Metaph. Profeſſ. Ordin. methodo concinnâ publicè inſerviet Dnn. Auditoribus ſuis explicatione Theſeos Inſtitutionum Logicarum majorum, & collatione Antitheſeos ſecundùm Logicam errantem Max. Reverendi Domini Anteceſſoris ſui, eâdem progreſſurus operâ in Metaphyſicis, niſi quòd locum Inſtitutionũ Metaphyſicarum, quas expectant adhuc à Celeberr. Dn. D. Rudrauffio Sapientum vota, ſuppleverit is quem feliciter hactenus emenſi ſunt pluſimi, Curſus Metaphyſicus, reſpiciens ſibi quoque oppoſitam Metaphyſicam errantem.

Privatos labores ſeu explicationum ſeu Diſputationum formabunt Dnn. Auditorum deſideria.

*GIESSAE*, Typis FRIDERICI KARGERI, Academ. Typogr. Ordinarii.

# ACADEMIÆ GIESSENÆ
# RECTOR,
## TOTUSQVE PROFESSORUM ORDO
### L. S.

IGnoti nulla cupido; Verba ſunt, *Benevole Lector*, quibus an verius quid dici poſſit, non imm dubitandum: Ea namque eſt ingenii humani, ea rerum omnium conditio, ut dum ignotæ illæ ſint, neque deſiderentur que æſtimationem ullam conſequantur: Quousque auri nulla erat inter mortales notitia, nulla quoque ejus cupido Quamdiu Orientis bona ignorata gentibus, nulla eas vel adeundi libido, vel poſſedendi invaſit cupiditas: Quoad neſcii quis adamas aut ſmaragdus, inter lapides cenſemus, quibus nemo delectatur: Poſſent ejus argumenti plurima, ex qu vitæ genere deſumpta, ſuppeditari, niſi vero ſimillimum foret ex his ὀφθαλμοφανῶς conſtare, rei nullum eſſe deſiderium niſi qu do innotuit. Atque hinc conjecturabis ipſe, *Benevole Lector*, non abs re hunc morem introductum, ut Lectiones Aca micæ publicè ſignificentur, utpote quas eadem, quæ res in Orbe omnes, fortuna manet, ſcilicet, *ignotæ ſi fuerint nulla earum cupido*; Quare u ignores, quid in uſus tuos acturi ſint poſthac Athenæi noſtri Profeſſores, eaque ignorantia & adeundi nos & diſcendi apud nos deſiderium tu remoretur, publica hac Tabula ſingulorum Profeſſorum Lectiones habendæ enarrantur & promulgantur, ita tamen, ut, quod ipſorummet cor appoſita promiſſa pollicentur, nulli non permiſſum ſit rogare alia, modo de ipſius mente certiores facti fuerint illi, quorum opera frui gaude Agito igitur B. L. agito, & cùm neque Labor neque Studium noſtrum in Te ex hiſce poſſint eſſe ignota, fruendi iis ſine accendatur cupido; Dal quod ſperamus, Altiſſimus, ut Te audiviſſe noſtros non pœniteat. Sic vale & laboribus noſtris fave. *P. P. Giſſæ, d. 8. April. Ann. 1677 ſub Sigillo Academiæ Majori.*

## IN FACULTATE THEOLOGICA.

JOHANNES NICOLAUS MISLERUS, *S. Theolog. Doctor, Ejus & Hebr. Linguæ Prof. Publ.* In Lectionibus publicis Articulos tres: de Aſcenſione Chriſti in cœlos, Miſſione Spiritus Sancti, & Seſſione ad dextram DEI, contra quosvis Adverſarios, in theſi & antitheſi explicabit; Collegium privatum, Diſputatorium, pro Auditorum deſiderio, inſuper additurus.

PHILIP. LUDOV. HANNEKENIUS, *SS. Theol. D. & Profeſſ. Ord.* In Lectionibus *publicis* portò tractabit, quæ facient ad expediendam abſolvendamque quæſtionem de Neceſſitate Chriſtianæ doctrinæ. *Privatim* faciet, ut viſum fuerit Dnis. Auditoribus; niſi qui malint ſequi animum ejus, quo deſtinavit Collegium habere Lectorio-diſputatorium in Librum Chriſtianæ Concordiæ. Adſit ſuâ benedictione JESUS!

KILIANUS RUDRAUFF, *D. Th. & Prof.* in publicis lectionibus exponet articulos formulæ concordiæ, præmiſſo generali diſcurſu de libris noſtris ſymbolicis eorumque uſu & autoritate. In privatis abſolvet ſuum ſuperiori ſemeſtri inchoatum Collegium Lectorio diſputatorium, in univerſam Theologiam eaquo quæ reſtant, dante DEO, abſolvet.

DAVID CLODIUS, *SS. Theol. Extraord. Profeſſ.* quantum Rectoratus permittent negotia, publicè Epiſtolam Pauli ad Romanos interpretabitur, refutatis in ſolidum Heterodoxorum παρερμηνείαις; Privatim verò vel Inſtitutionum Theologicarum aliquod explicabit ſyntagma, vel Polemicum, contra quos libuerit Heterodoxos, vel Locorum difficiliorum Sc. S. explicatorium, prout deſiderare viderit Auditores, habebit Collegium.

## IN FACULTATE JURIDICA.

JOHANNES STRAUCHIUS, D. pro diligentiâ Auditorum non deerit promiſſis, ſuperiori ſemeſtri in publicum factis.

ANTON. HENRICUS MOLLENBECIUS, J. U. D. *& Prof. Ordinar.* in explicandis *Authenticis* & quibus illæ inſertæ ſunt *Legibus Codicis*, publicè progredietur; unâ quaſi & compendiariâ viâ traditurus, & quod antè obtinebat Jus Vetus & quod poſtea deſuetudine obſoletum, Imperiali remedio *Novellarum* Conſtitutionum illuminatum eſt. Privatim quoque in aperiendis novis Collegiis, & Lectoriis & Diſputatoriis, ſuam pollicetur promtitudinem.

FRIDERICUS NITZSCHIUS, *Phil. & U. J. D. & Pand. P. P. Ord.* In explicatione Digeſtorum *publicè*, V. D. cœptâ methodo perget, & celebrem inprimis materiam *de Iuriſdictione*, tàm ex Jure Romano, quàm ſecundùm modernum S. R. Imperii Statum ex Conſtitutionibus Ejusdem[illegible]atè tradet. *Privatim* Pandectarum, *Weſenbecianum*[illegible]*vianum*, continuabit. De novo *aliud* vel *Pandectarum*, vel *quod* ab Ipſo deſideraverint Cultores Legum, tàm *legendo* quàm *diſputando* aperiet; Vel etiam *Ius Naturale* ſive ad *Hugonem Grotium*, ſive alium Juris Naturalis Doctorem explicabit.

NICOLAUS THILENIUS, J. U. L. *& Prof. Ord.* publicè principaliores ex Inſtitutionibus Juſtinianeis, quas hactenus feliciter ad finem deduxit, materias, atque inprimis teſtamentorum & legatorum titulos explicando pertractabit. Privatim verò dictas Juris Inſtitutiones, à Sereniſſimo Principe ſibi præcipuè aſſignatas, & Strauchii Jus Juſtinianeum præleget, ac diſputandi exercitium ante duos menſes cœptum ſedulò continuabit.

## IN FACULTATE MEDICA.

LAURENTIUS STRAUSS, *D. & Profeſſor Ordin.* in *publ.* prælectionibus continuabit Tractat. de *morbis Infantium*; ſub finem annexurus, DEO volente, coronidis inſtar, conſiderationem eorum, quæ de *Nutritione Infantis ad vitam longam* proponit *Helmontius*. *Privata* v. Exercitia quod attinet, Philiatrorum ſeſe captui accommodabit, operam daturus, ut, omiſſis inutilibus argutiis, ea diſcentium ingeniis inſtillentur, quæ ad ipſam [illegible] ſive [illegible] aliquando adhiberi queant.

MICHAEL Heyland / *Phil. & Med. Doct. & Profeſſ. Ordinar.* poſtquam ea, quæ de Oſteologia Pathologica tradenda reſtant, ad finem perduxerit, ſelectiores Controverſias, quæ Noſtro tempore de eadem materia agitari ſolent, publicè tractabit. Privatam quoque operam deſiderantibus hiſce pollicetur.

LUDOVICUS CHRISTIANUS TACKIUS, *Medicinæ Licentiatus, Ejusdemq; Profeſſ. Extraordin.* febrium cauſas, accidentium præprimis propriorum & læſarum actionum varietate expreſſas, inceptâ methodo eruere perſeverabit, & quid ſic Hippocratis Galeniq; doctrinæ, quorum virtus ſemper in incrementum eſt, hodiernorum medicorum operâ laudis accedat è cathedra notabit, compoſitô iterum ſermone ad ideam Jonſtonis Medicinæ practicæ; Privatô verò Collegiô Dnis. Medicinæ cultoribus artis fundamenta inſtitutionum explicatoriæ tradet, ad ipſorum aut vota etiam pronus alia.

## IN FACULTATE PHILOSOPHICA

M. JOHANNES Weiſe / *Mor. & Civ. Prof. Ordi & Facult. Phil. Senior*, *publicè* diebus Lunæ & Martis lectiones in Compendium Ethicæ ab ipſo recognitum, diebus verò Jovis & Veneris in Collegium Liebthalii Politicum B. C. D. continuabit. *Privatim* quo collegia lectoria & diſputatoria ex Ethicis & Politicis ad deſiderium Dnn. Commilitonum habebit.

LAURENTIUS STRAUSS, *Med. D. & Phyſic. Prof. Ordin. publicè* in explicatione hactenus tractati Compendii perget; *Privatim* verò ea eliget, quæ Auditoribus potiſſimùm arridere intelliget.

M. HEINRICUS PHASIANUS, *Hiſtoriarum, Oratoriæ, & Poëſeos Prof. Ord.* lectiones in Suetonium publicas Dd. continuabit. Privatim operam ſuam iis etiam commodabit, qui vel in Hiſtoricis vel in Oratoriis eam requirent.

DAVID CLODIUS, *Ling. Orient. Prof. Ordinarius*, publicè, ſi datum fuerit, ab officii quo nunc fungitur, negotiis otium, Rabbinologiam, quæ viam ad Rabbinicorum ſcriptorum intelligentiam parabit, proponet & exponet; Privatim verò Collegium aperiet Grammaticum Linguæ, Hebr. Græc. Syr. Chald. aut Arab. quæcunque arriſerit Auditoribus, ea methodo, ut explicatione Præceptorum facta, quæſtiones quas circa eadem vel Philologi vel Theologi movent, annectantur & ſolvantur: Vel Rabbinica explicare ſcripta perget; vel denique Philologicum merum de quæſtionibus Philologicis (quas deſiderantibus exponet) habebit; Omnia ad nutum & Captum Auditorum, quibus eligendi copiam benevolo permittit.

M. BALTHASAR MENTZERUS, *Mathematum Profeſſ. Ordin.* in lectionibus publicis, ea qua cœpit methodo, Propoſitiones Geometricas explicare perget; Privata etiam Collegia captui ac deſiderio Dnn. Studioſorum accommodabit.

M. JOHAN-DANIEL ARCULARIUS, *Log. & Metaph. Prof. Ord.* in lectionibus publicis oſtendere perget fundamenta Logicæ & Metaphyſicæ Errantis, additâ eorum firma reſolutione juxta veritatem Theſeos probatæ. Dictata Logica privata, eâ quâ cœpit methodo ad finem perducet, eaque univerſa, ex placito Dn. Auditorum, diſputatoriis ſubjiciet exercitiis privatis. In Metaphyſicis eam docendi rationem ſectabitur, quam requiſiverint Auditorum ſtudia & deſideria.

*GIESSÆ HASSORUM*, Typis FRIDE[illegible]RGERI, Academiæ Typogr. Ordinarii.

# ACADEMIÆ GIESSENÆ
# RECTOR,
## TOTUSQUE SENATUS ACADEMICUS OMNIUM FACULTATUM STUDIOSIS
## S. P. D.

*Agiſtros Studiorum Doctoresq́, excellere oportet moribus primùm, deinde facundiâ.* Ita habet Principium Conſtitutionis *Iuliani* Imperatoris in *L. 7. C. de Profeſſor. & Medic.* Cùm enim non verbo tantùm; ſed & converſatione gubernare ſubjectos debeant, ſemetipſos quoque Imitatores Virtutis oſtendere, teſtemque Doctrinæ bonam Converſationem habere iis incumbit, juxta *can. Valentinianus 3. diſt. 63.* Ne, ſecus ſi ſit, moribus iterum deſtruant, quod facundiâ ſuâ ædificarunt. Quæ verò morum excellentia adeò requiritur in Doctore, ut præ facundiâ & ſcientiâ primas ferat, uti præter *dict. leg.* etiam *l. unica C. de Profeſſ. Vrbis Conſtant.* & Ulpianus *in l. 1. D. de Decret. ab Ord. fac.* probat, & qui ſunt veraciores, diſertioribus præferantur in *can. ſedulò 12. diſt. 38.* Quod idem & *Plinius in lib. 3. Epiſt. 3.* confirmat, *Faventibus Diis*, inquiens, *trade filium Præceptori, à quo mores primum, mox eloquentiam diſcat, quæ malè ſine moribus diſcitur.* Nec aliud vult Juſtinianus, Sacratiſſimus Imperator noſter, quando in *Præfat. de Iuris docendi rat.* dicit, quod *prius animas, poſteà demum linguas eruditas fieri oporteat.* Nam uti facundia eſt linguæ donum; Ita mores in animâ requieſcere & habitare ſolent. Conſtitutio quidem illa *L. 7. C. de Profeſſ. & Medic.* unde ab initio memoratum principium deſumptum, eſt *Iuliani Apoſtatæ*, & ſi intentionem ejus ſpectes, fortè non adeo bona, cùm non aliò videatur reſpicere, quàm ut Profeſſores Chriſtianos à docendi munere callidè, more ſuo, ſubmoveat. Noluit enim, uti habet *D. Chryſoſtomus in Iuventinum & Maximum* Martyres, bellum ulterius manifeſtè Chriſtianis movere, cùm res ipſorum Martyrum morte clariores fieri obſervaret, ſed Profeſſores à Profeſſionibus ſuis diſcedere, aut fidem ſuam abjurare juſſit, inde ſe obtinere ratus, ut vel multi à fide deſiſterent, vel firmiter retinerent Juvenes, quod à gentilibus Doctoribus de Deorum ſuorum præconio didiciſſent. Unde dictam Conſtitutionem totam fucatam coloribus & pigmentis delinitam & quaſi impoſitâ larvâ, qualem & referat ſæpè memoratum Conſtitutionis principium, decoram edidiſſe nonnullis dicitur. Et peſſimam certè in ſanciendâ Conſtitutione illâ habuiſſe mentem Apoſtatam, ex Edicto Ipſius, quod inter Ejus Epiſtolas habetur, & *Baronius in Annalibus Ann. 362. n. 287.* refert, haud obſcurè intelligere licet, quando ibi quid per bonos mores in Doctore intelligat, clarius explicat. Scilicet, *ne opiniones novas & à ſenſu populari abhorrentes* (Ita enim vocat Chriſtianorum dogmata) *afferant, nec aliud ſentiant, aliud tradant, ſed potius uti Gentilium libros Iuventuti exponant, ita nec eorum DEOS vituperent, ſed Diſcipulorum cauſâ ſententiam mutent, & hiſce perſuadeant, neq́ Homerum neq́ Heſiodum, neq́ quenquam eorum, quos interpretati ſunt, quosq́ impietatis, amentiæ & erroris erga DEOS condemnarint, talem eſſe.* At verò quicquid ſit de Intentione primi Legiſlatoris, certum eſt Legem illam non ex perverſâ & ſubdolâ Intentione Juliani, ſed rectâ Imperatoris Juſtiniani, qui eam Codici ſuo inſeruit, mente obligare; quæ tantum abeſt ut coloribus & pigmentis fuerit fucata, ut ab omni dolo aliena, nec quidquam aliud velit, quàm quod eſt egregium quod laudabile & honeſtum quodque ipſa verba aperta ſonant; nempè ut Magiſtri Studiorum Doctoresque Chriſtianis, piis & probis moribus primùm, deinde & facundiâ excellant. Tales & Vos, *Viri Studioſi Optimi*, Doctores & Profeſſores habetis, qui non ſolum ſcientiâ & facundiâ ſed & moribus Vobis præeunt, qui non tantùm Linguas ſed & animas Veſtras erudire cupiunt. En! vitâ ſuâ & Catalogum multifariam eruditionem promittentem Vobis offerunt. Vos ſtrenuè ſequimini, & tàm in moribus ſeduli Ipſorum ſectatores eſtote quàm ex præſente Eruditionis Indice eligite quid vobis bonum, quid utile & proficuum videbitur. Deus cœpta ſecundet! PP. Gieſſæ ſub Sigillo Academ. Majori d. 14. Septembr. A. O. R. M. DC. LXXIX.

## IN FACULTATE THEOLOGICA.

**JOHANNES NICOLAUS MISLERUS**, *SS. Theol. D. Ejusdemq́ Profeſſ.* In publico ſubinde Controverſiam aliquam inſignem, hoc ſeculo cumprimis agitatam, per theſin & antitheſin, methodicè ac perſpicuè proponet. Horis privatis, ſi DEUS voluerit & Auditores adfuerint, adjunget Collegium Explicatorio-Diſputatorium contra Pontificios.

**PHIL: LUDOV: HANNEKENIUS**, *SS. Theol. D. & Prof. Ord.* Finitis per DEI gratiam Lectionibus AntiJeſuiticis adverſus Gregorium de Valentia, *publicè* in poſterum Notas tradet in N. T. uti alio quodam Catalogo promiſit. Privato Collegio aut Contra Photinianos aut Calvinianos deſideriis Dominorum Auditorum aſſurget. JESUS autem noſter in omnibus benedictus exoptatum largiatur ſucceſſum!

**KILIANUS RUDRAUFF**, *Theol. Doct. & Prof.* initio Lectionum publicarum expendet ea quæ è Syntagmate AntiSyncretiſticô Magni Theologi Dn. D. *Calovii* reſtant; pôſt ſubjunget Articulum totum de S. Scriptura. In privatis reſpiciet ea, quæ Dnn. Auditorum commoda & deſideria promovere poſſunt.

**DAVID CLODIUS** *SS. Theol. Doct. & Prof. Extraordinarius*, publicè poſthac *Libros Symbolicos* præleget ea methodo quam fructuoſiſſimam experietur Auditorio: In privatis deſiderio Auditorum ſeſe accommodabit.

## IN FACULTATE JURIDICA.

**JOHANNES STRAUCHIUS**, D. perget in Inſtitutionibus, aliisque lectionibus Juris publici.

**ANTON-HENRICUS MOLLENBECIUS**, *D. & Prof. Ordin.* explicationem JURIS NOVISSIMI, ſecundum Authenticarum Legibus Codicis Inſertarum ſeriem, publicè D. V. continuabit. Privatim abſolvet Collegium præterito ſemeſtri cœptum, & ſiquidam alia petierint exercitia, ſive *Diſputatoria*, ſive *examinatoria*, eorum deſiderio ſatisfacere conabitur.

**FRIDERICUS NITZSCHIUS**, *Phil. & U. J. D. Pand. Prof. Ord. & h. t.* ACADEMIÆ PRO-RECTOR. In Lectionibus publicis, quantum propter Negotia publica fieri poterit, in explicatione Titulorum Libri XLVIII. Digeſtorum V. D. perget. Collegia verò *privata* uti & Nucleũ Juris cõtroverſi diſputãdo continuabit, nec nova petentibus aperire denegabit.

**NICOLAUS THILEN**, *J. U. L. & Prof. Ord.* pro Lectionibus publicis materias Nuptiarum ac Tutelarum conſuetâ methodo pertractabit. Privatam verò operam collocabit partim in declarandis Inſtitutionibus Imperialibus, partim in prælegendis Digeſtis, atque ad Schnobelii Diſſertationes exercitium diſputandi inſtituet.

## IN FACULTATE MEDICA.

**LAURENTIUS STRAUSS**, *Med. D. & Profeſſ. Ordinar.* Prælectiones Practicas, obſervatâ hactenus methodô, DEO vitam concedente, *publicè* continuabit. Quoad *privata* verò exercitia, operam dabit ſedulò, ut Philiatrorum deſiderio & captui ſeſe accommodet.

**MICHAEL Heyland**, *Phil. & Med. D. & Prof Ordin.* Pathologiam in Cathedra Publicè ita tractabit, ut, ſic jubentibus Statutis, Principum Medicorum veſtigiis quidem ſit inhæſurus, non tamen neglectis placitis Recentiorum, poſtquam in Eorundem veritatem ex Libertate Academica citra omnem partium reſpectum inquiſitio fuerit inſtituta. Privatim ea tractabit, quæ captui & deſiderio Auditorum videbuntur congrua.

**LUDOVICUS CHRISTIANUS TACKIUS**, *Medicinæ Licent. Prof. Publ. Ord.* Medicas Diætæ Lectiones, publicè pandere, volente DEO nondum deſiſtet. Collaturus ibi, quod curandis ita morbis ex Hippocraticis, Hermeticis, & Galenicorum fonte, convenire poterit. Privatas Lectiones & oſti Medicæ & Dominorum Auditorum deſideriis conformabit.

## IN FACULT. PHILOSOPHICA.

**M. JOHANNES Weiß**, *Mor. & Civ. Prof. Fac. Phil.* SENIOR, *& ejusd. h. t.* DECANUS publicè in moralibus Compendium Ethicæ ſuæ minus, quod ſuperiori anno edidit, explicabit: In civilibus Compendium Politicæ, methodo hactenus ab eod. in exercitationibus Politicis receptâ, pro maximâ Auditorum utilitate ad calamum dictabit, ita tamen, ut multa vivâ voce ſubinde ſit moniturus, quæ ad capeſſendam ingenii culturam, & formandos Boni Civis mores exiſtimabit: Nec non diſputationes publicas Ethicas & Politicas, quoties occaſio feret, habebit. Privatim quoque Collegia Ethica & Politica, tam explicatoria, quàm diſputatoria expetentibus aperiet.

**LAURENTIUS STRAUSS**, ~~*D. & Phyſic. Profeſſ.*~~ *Ordinar.* Explicationem Iſagog. Phyſic. ita adornabit *publicè*, ut præmiſſâ unâ alterâve hypotheſi celebriori, ſuam denique ſententiam exponat. Quodſi inſuper inveniet, qui *privatim* quoque ſeſe exercere hoc in ſtudii genere voluerint, illis ut diligentiam ſuam probet, *ἐν ἔργῳ*, ſtudioſè allaborabit.

**M. HEINRICUS PHASIANUS**, *Hiſtor. Orat. & Poëſ. Profeſſ. Ord.* expoſitionem Antiquitatum Tullianarum publicè, Lunæ & Martis diebus, ſolita methodo continuabit. Privatim Hiſtoricam Junonis Ideam, à nato Servatore, exponet, additis, quæ brevitas autoris excluſit, magis neceſſariis; quorum etiam fuſiori explanationi publici, poſteriorum Jovis Venerisque dierum, diſcurſus deſervient. Nec minus iis, qui ſtylum ad claſſicos Autores, ſive Epiſtolicum ſive Oratorium, conformare ſtudebunt, operam ſuam, DEO benedicente, probabit.

**DAVID CLODIUS**, *S. Th. D. & Ling. Orient. Prof. Ordin.* In publico perget Quæſtiones Grammaticas explicare & ſecundum rationum veritatem decidere. Privatim ea pertractabit quæ Auditorio grata eſſe cognoverit.

**M. BALTHASAR MENTZERUS**, *Prof. Math. Ordin.* uti cœpit, publicè ſelectiora ex Cluveri Geographicis proponere perget; Privatim & Geometricum continuabit collegium, & alia, quæ Dnn. Studioſis grata eſſe perſpexerit, præleget.

**M. JOH. DANIEL ARCULARIUS**, *Log. & Methaph. Prof. Ordin.* Ea quæ formam Syllogiſmi concernunt, quatenus vim habet atque efficaciam probandi, quibusve modis eandem variare liceat, per exempla perſpicuè proponere perget, addendo ſimul modos argumentandi quorundam recentiorum, quibus locupletare conati ſunt Logicam uſitatam, licet non usque quâque feliciter. E Doctrina Metaphyſicorum proponet Principia quibus everſum iri credunt Photiniani Orthodoxiam fidei noſtræ, eaque genuino & vero ſenſu explicabit aut quæ falsò ab ipſis pro Principiis habentur, per argumenta repudiabit. Lectionibus quoque privatis promovere ſtudebit Deſideria Philoſophiæ Cultorum.

Ex Officina ACADEMICA KARGERIANA, per Johannem Eberhardum Peuri.

# ACADEMIÆ GISSENÆ
# RECTOR,
## TOTUSQUE PROFESSORUM ORDO,
### Omnibus Omnium Facultatum
### STUDIOSIS
ὑγιαίνειν ϗ εὐπράττειν!

INter quatuor bonorum externorum genera, *Platoni* ſanè viſum eſt *Formæ bonitati* ſecundas tribuere, tertias *Robori*, poſtremas verò partes *Opibus*: De *Valetudine* verò *inculpatâ* non veritus eſt pronunciare: ἡγεῖται μὲν ὑγίεια, *agmen ducit Sanitas!* *Thales* interim hæc bona felicitatem hominis non niſi ἔξωθεν attingere conſiderans, ab animi Eruditione complementum addendum eſſe judicavit. Interrogatus enim aliquando: *quinam felix eſſet?* reſpondiſſe fertur: *Qui corpore ſanus eſt, Animô autem eruditus!* Quod hic è ſeptem Græciæ Sapientum numerô non infimus de felici cujusvis hominis, cui animus quadam eſſet doctrinæ culturâ inſtructus, conditione pronunciaſſe videri poſſit, id de iis, qui comparandæ Eruditionis gratiâ, in bonarum Literarum Officinâ (Academiam intelligimus) verſantur, ſeque proptereà profitentur *Studioſos*, omnium rectiſſimè dici, jure meritòque judicaveris. Cùm enim Vita Academica ſine literis mors ſit, & viva quaſi Studioſi ſepultura, quamnam hîc ejus felicitatem agnoſcere queas, cui præcipuum Studioſi bonum deeſt non modò, verumetiam ne quidem quærendum putatur? Poſſe equidem hujus quempiam Ordinis ſanum eſſe corpore, virium robore gaudere, & faciei præditum eſſe pulchritudine, etiamſi animô eruditus minimè fuerit, non eſt ut quis neget, cùm res ipſa ſatis loquatur; vivere tamen hunc potius, quàm valere, dixeris, quandoquidem, meliùs ſentientium judicio, ſine ſtudiis Studioſus necquicquam valet: utut εὐεξίᾳ τῶν ἀθλῶν fruatur, & in curandâ cuticulæ elegantiâ eſſe ſoleat ſtudioſiſſimus. Quam diu enim τὸ εὐπράττειν deeſt, bonus iſte corporis habitus animo conſuevit periculoſus eſſe, ſiquidem plerumque in deterius labitur. Alia Academicorum γυμνασικῶν εὐεξία eſt, quæ non tam â corpore, quàm ab animo, perficitur: Vivitur namque hac in Paleſtrâ ingenio; cætera mortis erunt! Et quemadmodum animus corpore longiſſimè præſtat, ita dubitari non debet, in Studioſo, cujus omnis in Virtute ac Eruditione laus conſiſtit, Vanitatis pigmenta eſſe, quicquid Fortuna in cortice oſtentat. Felices itaque eos, qui, dum in Academiâ degunt corpore ſani, in id unicè incumbunt, ut præcipuam Studioſorum felicitatem conſequantur, h. e. *animô fiant eruditi*: Contra verò omnium Infeliciſſimos, qui corporis valetudine, virium robore, pulchritudine, atque opibus ad defœdandum animum abutuntur. Neque ſane eſt, ut ab his talibus remedia, quæ in uſum vocare hactenus recuſarunt, nullius virtutis arguantur, cùm, quibus indeſinens *Profeſſorum* Induſtria, Studium ac Fides curæ cordique fuerunt, eam hinc experti ſint Studioſi profectuum acceſſionem, ut inſigni doctrinæ gloriâ, animique felicitate indies magis magisque fruantur. Et ecce! omnes, quibus diſcere ſumma eſt voluptas, ſuſpensâ hac *Lectionum Tabulâ* denuò invitamini. Excitabit auditor ſtudium, neque in *Docentibus* ulla erit mora, ſi *Diſcentes* in Scholâ σχολὴν, quam ἀργίαν, amare maluerint; &, qui publicè laudari ob privata ſtudia geſtiunt, publicarum quoque ſeſe commendaverint Lectionum frequentatione. tùm enim demùm conſtabit, non Muſis ſe tantummodò privatis ceciniſſe, ſed publicæ præſertim, cui nati ſunt, utilitati ſtuduiſſe, quæ publicô etiam eos aliquando coronabit applauſu! Annuat DEUS, & *Docentibus* æquè ac *Diſcentibus* mentem ſanam in corpore ſanô largiatur, ut, Pace & Juſtitiâ mutuò ſe & universùm amplexantibus, Muſis quoque noſtris ad DEI Gloriam & proximi ſalutem ὑγιαίνειν τε ϗ εὐπράττειν porrò ex votô contingat! PP. Giſſæ, ſub ſigillô Academiæ Majori, Dominic. *Judicâ.* Anno χριστογονίας, cIↃ: IↃC: LXXX.

## IN FACULTATE THEOLOGICA.

JOHANNES NICOLAUS MISLERUS, *S.Th.D. ejusdemq; Prof.* In Lectionibus publicis, volente Deo, controverſias de Chriſto, juxta carnem exaltato, pertractabit; Privatim, vel Anti-Pontificium Collegium, hactenus habitum continuabit, vel aliud pro Auditorum numero ac deſiderio inſtituet.

PHILIPPUS LUDOVICUS HANNEKENIUS, *SS.Th. D. & Prof.Ord.* Opitulante Domino noſtro JESU CHRISTO, in Lectionibus *Publicis* Annotationes in Matthæum, & moralia Evangelica, ut cœpit, continuabit. Collegium *Privatũ*, quod nonnemo nuper deſiderabat, in Epiſtolam Pauli ad Romanos aperiet, aliudque addet, aut *Antipapiſticum*, ad methodum nuper habiti AntiCalviniani, aut *Theticum* explicatorium, ut Auditorum ſtudia poſtulaverint.

KILIANUS RUDRAUFF, *Th.D. & Prof.* in lectionibus publicis hac æſtate explicationem faciet Epiſtolæ ad Romanos, Academicisq; exercitationibûs diſputatoriis expendet doctrinam totam de S.Scriptura. In privatis verò reſpiciet deſideria votumque Dnn. Auditorum.

DAVID CLODIUS, *SS.Th.D. & Prof. Extraord.* publice, volente DEO, poſthac *Theologiam Univerſam*, ſecundum ſeriem receptam Locorum, prælegет, & tam theſin, quàm antitheſin proponet, examinabit & vel refutabit, vel comprobabit; Privatim *Collegium Theologicum* aperiet, quo *Theſin vel Orthodoxiam Noſtratium* ſolide comprobatam ab objectionibus quoque Adverſariorum vindicabit: Neq; etiam deerit illorum deſiderio, qui vel publice vel privatim diſputando exercere ſe voluerint, ſuppeditaturus vel de *loco aliquo Theologico*, vel de *dicto Biblico difficiliori*, vel ex *Parallelismo* ſuo *ſacro* materiam elegantem & fructuoſam.

## IN FACULTATE JURIDICA.

ANTON-HENRICUS MOLLENBECIUS *D. & Prof. Ord.* Explicationem *Juris Noviſſimi* ſeu *Authenticarum*, quas Novellarum Epitomator Irnerius, Codicis Legibus inſeruit, ulterius publicè continuabit, operam daturus, poſtquam jam CCXIV earum explanavit, ut & reſiduas hoc ſemeſtri D.V. abſolvat. In privatis quoque prælectionibus ſedulò perget, nec minus in aliis pro Dominorum Studioſorum placito, aperiundis Exercitiis, tùm Diſputatoriis, tum Examinatoriis, ſuam exhibebit promtitudinem.

FRIDERICUS NITZSCHIUS *J.U.D. & Prof.Ord.* in Rerum Criminalium Explicatione ad *Lib. XLVII. & XLVIII. Digeſtorum*, eâ, quâ cœpit, methodo *publicè* V.D. perget. *Privatim* Collegium ad *Struvii Syntagma Juris Civilis* habebit, nec non ex Jure Publico *Mylerum de Principibus & Statibus* [illegible] vel alium Juris Publici Scriptorem deſideran[illegible] exponet.

NICOLAUS THILEN *J.U.L. & Pr.Ord.* prolectionibus *publicis* Modos acquirendi juris gentium & civilis tractabit; *Privatim* verò aperiet Collegia, cum Inſtitutionum, tum Feudorum, iisq;, qui hactenus in Compendium illud juris *Lauterbachianum*, à Conſultiſſ. Dno. *Schutzio* nuperrimè editum, operam ejus deſiderarunt, pro viribus ſatis faciet.

## IN FACULTATE MEDICA.

LAURENTIUS STRAUSSIUS, *Med. D. & Pract. Profeſſ. Ord p.t. Acad.* RECTOR, in proponendâ Morborum θεωρίᾳ pariter ac θεραπείᾳ, conſuetâ hactenus methodô, ſi negotia publica conceſſerint, *publicè* perget; *privatim* verò poſtquã præteritâ hieme *Inſtit. Medic.* tùm explicando, tùm examinando cum Philiatris quibusd. abſolvit, eos nunc ad *Collegium Practicum*, in quô tamen fundamenta Theoretica minimè negligentur, invitat; quod ſi inſuper *Exercitium Diſputatorium*, Medic. Candidatis valdè neceſſarium, arriſerit, materiam huic negotio utiliſſimam, DEO vitam viresque largiente, ſubminiſtrabit.

MICHAEL HEYLAND, *Phil. & Med.Doct. & Prof.Ord.* Publice ea, quæ de Cauſis Morborum in genere dicenda reſtant, imprimis autem Plethoræ & Cacochymiæ materias ſatis ſpinoſas Methodo hactenus ſueta tradet; quibus ad finem perductis ſubnectet ſpecialiorem Cauſarum Morbificarum tractationem. Nec ad Botanices ſtudium manuductionem denegabit iis, quos Hujus Amore teneri experietur. Privatim præſtolabitur Dn. Philiatrorum deſiderium, cui pro poſſe ſatisfaciet.

LUDOVICUS CHRISTIANUS TACKIUS, *Med.L. Pr. Publ.Ord.* Medicas Diætæ Lectiones publicè pandere, volente Deo, nõdum deſiſtet. Collaturus ibi, quod curandis morbis ex Hippocraticis, Hermeticis & Galenicorum fontibus convenire poterit & quam illa per intemperies, partiumq; affectus & ſolutas tandem unitates emanare ſoleat, ubi ad hoc occaſio, demonſtrabit. Privatas Lectiones & Arti Medicæ & Dominorum Auditorum deſideriis conformabit.

## IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

M. JOHANNES WEISS, *Mor. & Civ. Prof. Ord. & Fac. Phil.* SENIOR. publicè, DEO valetudinem benignè conſervante, in Ethicis & Politicis methodo ab eod. receptâ ſtrenuè perget, & quidem in Ethicis materiam de Virtute Morali, in Politicis doctrinam de ſocietate paternâ & herili tradet. Diſputationes quoque publicas, quoties occaſio ſe obtulerit, inſtituet. [illegible] verò Collegia Ethica & Politica, explicatoria & diſpu[illegible] arbitrio Dnn. Auditorum aperiet.

LAURENTIUS STAUSSIUS, *D. Phyſ. Prof. Ord.* potiores juxtà atque utiliores, quæ in *parte Phyſ. Generalis* reſtant, controverſias, ſi per negotia publica licuerit, D.V. *publicè* exponere continuabit: *Privatim* verò cùm *Explicando* jam *Phyſ. Compendium* abſolverit, id ipſum *Diſputando*, ſelectis ad hoc Exercitii genus præſtantioribus argumentis, (ubi gratum id fore Dnn. Studioſis intellexerit) pertractare, σὺν θεῷ, aggredietur.

M. HENRICUS PHASIANUS, *Hiſt. Or. & Poeſ Prof. Ord.* exponendis porro, quæ in Selectis Ciceronis Orationibus occurrunt, difficilioribus publice immorabitur. Collegia privata quod attinet, qua Hiſtorica, qua Stylum, deſideria Studioſorum reſpiciet, &, ut pro virili ſatisfaciat, operam intendet.

DAVID CLODIUS *SS.Theol.D. & Ling. Orig. Prof. Ord.* in lectionibus publicis, bono cum Deo *ſyntaxin* & cumprimis *idiotismos* Linguæ ſanctæ exponet, eorumque uſum oſtendet; Privatim *Collegium* habebit *Philologicum*, quo Philologicas quæſtiones hodie maxime moveri ſolitas, explicabit, oſtenſisq; opinionibus diſcrepantibus, quæ verior ſit, rationibus comonſtrabit: Præterea *Grammaticum* inſtituet ejus linguæ, quam inter Originales maximè ab Auditoribus deſiderari deprehendet: Quin uberrimam diſputandi materiam, vel ex *Philologo* ſuo *Vindice*, vel ex *Philologo* ſuo *Vago*, quem meditatur, exhibebit.

M. BALTHASAR MENTZERUS, *Prof. Mathem. Ordin.* ea, quæ in Geographicis Cluveri, aliorumque reſtant, ſolitâ hactenus methodo explicare conſtituit, iisque abſolutis Limeneuriticam. Privatim Geometriæ in Campo praxin, dimenſionem agrorum, altitudinum, diſtantiarum &c: & Geometricè & Trigonometricè, pro Auditorum captu, etiam Geographiam, Aſtronomiam, & alia: pro Eorum deſiderio D. A. pertractabit.

M. JOH. DANIEL ARCULARIUS, *Log. & Metaph. Prof. Ordin.* Prælectionibus publicis continuabit Examen Metaphyſicæ Photinianæ, tàm quoad Generalem, quàm Specialem Partem, quod abſolvere ſe poſſe penſum intra præfinitum terminum ſperat, ſi omiſſis tantiſper Logicis, omne tempus æſtivum utiliſſimo huic labori impenderit, Diſputationibus nihilo ſecius publicis materiam ſuppeditabit, quæ Logicæ Cultoribus Ingenii exercendi occaſio eſſe poſſit. Privatos labores, more conſueto, formabunt Deſideria Auditorum.

GISSÆ, ex Typograph. Academ. Ord. *B.* KARGERI.

# ACADEMIÆ GISSENÆ
# RECTOR,
## TOTUSQUE SENATUS ACADEMICUS, OMNIUM FACULTATUM STUDIOSIS
*S. P. P.*

NOn infima imperantium prudentia cenſenda eſt, qua ſubditis mercium tractandarum curam commendant, modisq; cavent omnibus,ut facilis harum importandarum,exportandarumque ratio ineatur. Si enim quid eſt, quod hominum ſocietatem, rerum omnium in vita utilium, abundare copia facit, & agendorum inprimis nervum ſuppeditat, illud ſane negotiatio inprimis eſt; videmusque Regna & Reſpublicas præ aliis florere, quæ ut illa floreat, eo operam laboremque omnem impendunt. Noſtram equidem,quam incolimus,*Giſſam*,vel incolarum ingenio,vel loci genio,rerum parum aptam commercio eſſe, *Cattorum* Principes, per ævum laudatiſſimi, animadverterunt; unde & medium tempeſtivè circumſpexêre, quo ſubditorum uſibus,non una ratione,ſucurrerent,patriamque ſuſtentarent, quæ prima Regentium cura eſſe debet. *Muſarum* ergo ſedem urbem præcipuam voluerunt, prudentia & pietate pari: ita enim utriusque felicitatis rationem habuerunt,& interioris illius, quæ animos quorumcunque,rerum optimarum ſcientia,divites facit; & exterioris,qua civibus & incolis,frequenti ſtudentium adventu,haut mediocris ſolet rerum acceſſio fieri. Floruit hactenus *Athenæum* hoc, *Minervæ* ſacrum *Emporium*, ſub *Sereniſſimorum Nutriciorum* paterna cura,& præſentibus Nundinis Vobis,*Cives Academici*,merces ſuas exponit, quibus nec *Serum* nec *Indorum* induſtria pretioſiores apportat; iſtiuſmodi merces, quæ caſui nulli ſubjacent,aut temporis injuriæ: unde vera beatitudo pendet, quaſve naufragus olim *Ariſtippus* ſolas præ omnibus ſuis commendabat. Has prenſate, & debita in veſtros uſus ſolertia convertite; quando ſubjuncta tabella exhibet, qui per omnes ſunt Facultates parati, explicare, quæ ſtudii cujuſcunque poterunt finem, DEO benedicente, coronare. PP. ſub ſigillo Academ. majori 13. Kal. Aprilis. cIɔ Iɔc LXXXI.

### IN FACULTATE THEOLOGICA.

JOHANNES NICOLAUS MISLERUS *SS.Theol.Doct. ejusdemq; Prof. P.* Controverſias circa Adiaphora inter Nos & Calvinianos hactenus agitatas, tractabit in lectionibus publicis; Privatim Collegium inſtituet AntiPontificium vel contra Adverſarios alios, pro Auditorum placito.

PHILIPPUS LUDOVICUS HANNEKENIUS, *SS.Th. D. & Prof. Ord.* DEO gratioſè aſſiſtente & gubernante, *Publicè* continuabit notas in Epiſtolas Johannis. *Privatim* aut contra Photinianos aut Syncretiſtas collegium aperiet diſputatorium juxta theſés collegii gemini *B. Dn. D. Haberkornii* typis impreſſas,contra Photin. & Novatores. Aut ſin Caſuale arrideat provectioribus in S. Theologia operam ſuam fideliter per DEI gratiam ſubminiſtrabit.

KILIANUS RUDRAUFF, *Theol. D. & Prof.* in publicis lectionibus, poſtquam ea, quæ in Epiſtola ad Romanos è ſuperiori ſemeſtri reſtant, abſolverit, dubia reſolvet potiora & difficiliora Moſaica; In privatis collegium inſtituet AntiPontificium diſputatorium,atq; publicas de Scriptura S. Diſputationes promovere perget.

DAVID CLODIUS, *SS. Theol. D. & Prof. Extraord.* publice cùm hactenus Theologica legerit, privatis horis in iisdem perget, illaque prælegeet quæ grata Auditoribus eſſe cognoverit.

### IN FACULTATE JURIDICA.

ANTON. HENRICUS MOLLENBECIUS, *D. & Pr. Ord.* huc usq; publicis prælectionibus Jus Noviſſimum, in Codice per CCXXVI. Authenticas ab Irnerio Novellarum Epitomatore interpolatum, expoſuit, & nunc tandem divino adjutus auxilio abſolvit. Proximè igitur, promiſſo ut ſatisfaciat, DIFFERENTIAS JURIS CIVILIS & CANONICI, easq; principaliores ſuccinctè explanabit, ad ſingulas ſimul quid uſus obtineat atque in foro judiciario receptum ſit, fideliter moniturus; DEUS ſecundet propoſitum! Privatim quoq; tum in continuandis, tum in aliis denuò inchoandis Collegiis, qualia à LL. Cultoribus, Dominis Studioſis, deſiderabuntur, ſuam pollicetur promtitudinem.

FRIDERICUS NITZSCHIUS, *D. & Jur. Prof. Ord. Publicè* ea, quæ in *Libris Pandectarum XLVII. & XLVIII.* adhuc proponenda reſtant, volente Deo abſolvet. Privatim Collegium *Digeſtorum* Lectorio Diſputatorium ad *Dn. Struvii Sytagma* habebit, & quia Juris Publici Collegium ad *Dn. Myleri* Tractatum de Principibus & Statibus Imperii præterito ſemeſtri bono cum Deo abſolvit, aliud *vel Publici* vel etiam *Feudalis Juris* Collegium deſiderantibus aperiet.

NICOLAUS THILEN, J.U.L. *& Prof. Ord.* Inſtitutiones Juſtinianeas & publicè & privatim ſuperiori hyeme, ita fortunante Deo, abſolutas denuò ordietur; In Collegio Digeſtorum, quo cepit, pede perget, aliaq; cùm in feudalis, tùm publici juris Studiis pro deſiderio Auditorum Collegia aperiet.

### IN FACULTATE MEDICA.

LAURENTIUS STRAUSSIUS, *Med. D. & Pract. Prof. Ord.* cùm nuper Lectionum Publicarum penſum conſtituerit γυμνάσματα *Palæſtræ* ſuæ *Medicæ Practicæ*, quæ præterito annò *diſputando* propoſuit; in illis exponendis, propiùsque ad finem practicum dirigendis, cœptâ methodô, Deo vitam clementer concedente, perget. Quòdſi inſuper *Philiatris* arriſerit, hac in *Palæſtrâ* ulteriùs ſe *publ. diſputando* exercere, vel *privatim conſultando*, aut aliis non inutilibus id genus laboribus ſub ejus manuductione proficere, ſtudium ipſis, fidem atque induſtriam καθδύναμιν promtam pollicetur.

MICHAEL Heiland / *Phil. & Med. D. Prof. Ord.* Per Inſtans ſemeſtre æſtivum Publice quidem in Pathologicis perget, ſingulorum Symptomatum Cauſas juxta Veterum pariter & Recentiorum placita examinanda; Nec deerit deſideriis Eorum qui Amore Studii Botanici flagrant. Privatim vero Chirurgica tractabit, ſi qui erunt hæc Studia amantes.

LUDOVICUS CHRISTIANUS TACKIUS, *Med. Lic. ejusdemq; Prof. P.* uti cœpit, publicè Diætam prælegeet, una cum Materia Medica, & quæ, eâ neceſſitate, referantur ad doctrinam, de morbis cognoſcendis, præcavendis, curandis, dijudicandis, ex fonte practico declarabit, non omittens Jonſtonis Ideæ Medicinæ Practicæ librum; quicquid huc lucis ex ſententiis Hippocratis, Galeni & Hermeticorũ irradiare poterit, id quam ſolicitè & ſimul eò diriget; Cætera perquietem lectionum privatarum, offert Dominis Philiatris, quæ deſiderabunt ex arte alia, Eligant modo, Diſputando, explicando an examinando, inſtitutionibus, aut quacunq; Medicinæ parte, ſibi felicius Conſultum velint. Ita annuat Jehova.

### IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

M. JOHANNES Weiſs / *Mor. & Civ. Prof. Ord. & Facult. Phil. Senior, in publicis lectionibus* Ethicis, Deo gratioſè volente, doctrinam de Temperantiâ &c. juxta ſeriem Compendii ſui Ethici proponet. In Politicis verò, expoſitâ parte Politices generali, partem ſpecialem poſthac eâd. methodo declarabit, & materiam de Republicâ ejuſdemq; ſpeciebus tradet. Inſuperq; præſidium ſuum in diſputationibus Moralibus & Civilibus, typis excudendis, offert. *Privata* quoque *Collegia* Ethico-Politica, lectorio-examinatorio-diſputatoria pro Dominorum Studioſorum lubitu aperiet.

LAURENTIUS STRAUSSIUS, *Med. D. & Phyſ. Pr. Ord.* Generalem de *Brutis* doctrinam, juxtà *Iſagoges* ſuæ *Phyſicæ* ductum, *publicè* exponet: *privatim* verò, poſtquam *Compendium* hoc explicandi denuò abſolvit, optat Naturæ cultores, quibus *diſputando* pariter, immo magis proficere, curæ cordiq; ſit: interim nulli (ſi Deus vitam conceſſerit) defuturus, qui oppellam ſuã quovis etiam modo deſideraverit.

M. HEINRICUS PHASIANUS, *Hiſt. Orat. & Poeſ. Prof. Ord.* Captas in Bunonem Lectiones Hiſtoricas publice continuabit, ſed ut per vices, rationem orationum ſpecialium conficiendarum, juxta ſeriem Voſſianam, commonſtret. Privatim, vel continuabit ſuperiora Collegia; vel alia ad votum Dnn. Auditorum inſtituet.

DAVID CLODIUS, *Ling. Orient. Prof. Ord.* Publice poſthac vel Hebrææ vel alius Linguæ fundamenta, quã arridere Auditorio ſenſerit, docebit: Privatim Collegium Philologicum aperiet, non denegaturus & alia, quæ è re ſua eſſe judicaverint Auditores.

M. BALTHASAR MENTZERUS, *Prof. Math. Ord. & p.t. Academiæ* RECTOR, ex voto ea, quæ in Geographicis publicè prælegenda reſtant, ob munus Rectorale abſolvere haut poteſt. Privatim, cùm hactenus ad deſideriũ Auditorum uſum globorum explicaverit & Mapparũ Geographicarum aliaque; in Geometricis, Fortificatoriis aliisq; Matheſeos capitibus, futuris Auditoribus præire nõ gravabitur.

M. JOH. DANIEL ARCULARIUS, *Log. & Metaph. Prof. Ord.* Continuabit Lectionibus publicis declarationem μεταμορφώσεως Syllogiſticæ materialis, & ſicut hactenus eam quæ Etymologia, Synonimia, Denominativa proportione, &c. deſumitur, propoſuit, ita in futurum, Definitivam, Propriam & ab Accidentibus derivatam &c. exhibebit, idque juxta leges veræ argumentandi formæ. E Metaphyſicis proponet Primæ veritatis Axiomata, quæ ſingulis capitibus hujus doctrinæ ſubnecti ſolent, eorundemque ſenſum genuinum declarabit.

GISSÆ, ex Typograph. Academ. B. KARGERI.

# ACADEMIÆ GISSENÆ
# RECTOR,
## TOTUSQUE PROFESSORUM ORDO, FACULTATUM OMNIUM STUDIOSIS, S. P. P.

QUod eſt in prima concoctione vitium admiſſum, illud nec in ſecunda, nec in tertia corrigi, apud Medicorum filios ſcitum compertumque habetur. Neque felicior digeſtio animi eſt; ſed ſi ſtomachi officium viſcerum reliqua exquiſitum requirunt, is etiam ordinem exigit, & vigorem, quo omnia in tempore non aſſumantur ſolum, ſed debita etiam maturitate percoquantur. Cœterum in rebus humanis ferme omnibus optima quæque prima ac ſaluberrima reputantur; unde, qui rerum ſuarum præ aliis curam accuratiorem habere voluerunt, ad occaſionem reſpexêre primum; quandoquidem, quod olim valuit, illud Poëtæ, etiamnum obtinet de iſta:

*Hanc ſi occupâris, teneas; elapſam ſemel,*
*Non ipſe poſſit Jupiter reprehendere.*

Occaſio ergo prima inprimis iis arripienda, qui liberalia tractant; non ideo ſolum, ut tempeſtivè circumſpiciant, quæ aliquando ſint uſui futura: ſed ea etiam propter, ut modo illa convenienti aggrediantur, & qui ad ſcopum recta ferat; ne, dum circuitu, & per incerta feruntur diverticula invenientes operam, quod dici ſolet, & oleum, perdant; inque ſenium citius, quam ad artis ſuæ conſummationem, deferantur. Quare, ne temere quis, inter nos, literarum alumnus, per avia circumducatur, *Sereniſſimi* Academiæ hujus *Nutricii* caverunt olim; atq; ut diſcendis cupidi, nundinis ſingulis, vernalibus & autumnalibus, qua ſua, per Facultates omnes, methodo tractanda habeant, conſtare poſſit, publicandos labores voluerunt, quæ quolibet ſemeſtri à quovis ſuſciperentur. Horum mandata nunc, ut alias, quo par eſt, obſequio, proſequentes, exponimus, quod per omnes Facultates penſum, feriis autumnalibus exactis, abſolvetur. Veſtrum erit, *ô Muſis dicata pectora!* tabellam hanc luſtrare, ut, quæ ſtudiis veſtris conducere poſſint, in tempore diſpicere, & ſine periculo, temporisq; ac ſumptuum diſpendio, eligere poſſitis, quæ veſtram aliquando conditionem ornent. Valete; & per pietatis & ſolida Induſtriæ opera, DEO, laboribus benedicente, Patriæ, Parentumque veſtrorum ſpem implere, modis omnibus, elaborate! P. P. Prid. Non. Sept. A. M. DC. LXXXI. Sub ſigillo Academiæ majori.

## In FACULTATE THEOLOGICA.

JOHANNES NICOLAUS MISLERUS, *S. Theol. Doct. ejuſdemq; Prof. P.* In Lectionibus publicis dicta principaliora V. & N. Inſtrumenti, juxta ſeriem articulorum fidei, methodicè in uſum Theologiæ Cultorum, Volente DEO, explicabit, ut ex illis ſententia genuina orthodoxa probè intelligi, & ad Locos Theologicos facilè redigi poſſint; Et cùm elapſo Semeſtri totam Synopſin Articulorum religionis noſtræ θεωρητικῶς expoſuerit, in ulteriorem Studioſorum fructum, per certas poſitiones expoſita, in praxin & utilia exercitia convertet, vel ad diſputationis actus revocando, vel Auditores ſingulos examinando, ut induſtrius ſacri ſtudii Cultor habeat, in quo ſe exerceat & progreſſus ſuos Theologicos oſtendat.

PHILIPPUS LUDOVICUS HANNEKENIUS, *S.S.Th. D. & Prof. Ord.* Præſidente & opitulante Spir. S. gratiâ in *publicis* Lectionibus continuabit, quam nuper orſus eſt, methodum memorabilium in Auguſt. Conf. *privatim* tradet Diſpoſitiones in textus Biblicos pro Concione tractandos, ut deſideravêre nonnulli Dn. Auditorum. Præterea Collegium Theticum in univerſam Theol. aperiet, aut tabulas ſæculares in Hiſtoriam Eccleſiaſticam, ante decennium, & quod excurrit, inchoatas, repetet & continuabit. Dirigat autem omnia ſtudia noſtra miſeratur hominum JESUS noſter in ſuammet gloriam & noſtram ſalutem!

KILIANUS RUDRAUFF S. Th. D. & Prof. In Lectionibus publicis poſtquam in ultimis abſolvit Moſaica, in ſequentibus proximè D. D. tradet Prophetica, quæ potiſſimùm eminent, dubia, nec non in promovendo tractatu de S. Scriptura publicè diſputando perget & ad finem hoc ſemeſtri perducet; *In privatis* equidem potiſſimùm commendatum ſibi habet exercitium vel collegium *diſputatorium ſive in Syllogen ſuam controverſiarum*, ſive autorem alium, Pontificium Calvinianumve, quia tamen jam dum quidam deſiderium ſuum expoſuêre, quo inclinant in expoſitionem Syſtematis Theologici *Viri Celebratiſſimi Dn. D. Scherzeri*, libri non vulgaris eruditionis, illis, ſi in eo propoſito perſtiterint, non deerit ſua, quam depoſcunt, induſtria.

DAVID CHRISTIANI, SS. *Th. D. & Prof. Ord.* in *Lectionibus publicis*, divinâ ſavente gratiâ, *ἀποκαλύψεων* *ἀγγελικῶν* & Locos Communes Theologicos, inprimis verò Controverſias contra Jeſuitas, tractabit. *Privatim* Collegia Lectoria & Diſputatoria aperiet, in *Hiſtoria Eccleſiaſtica* nemini operam ſuam detrectabit, & in Theologiæ Candidatorum gratiam, Inquiſitionem in *Concilia*, antiquitati Papatûs ſubſtrata, inſtituet.

DAVID CLODIUS, *S. Th. Dr. & Prof. Extraord.* publice, volente DEO, vel *Epiſtolam ad Hebræos* prælegët, vel *Controverſiam* aliquâ notabiliorem pertractabit: Privatim Collegium habebit Theticùm diſputatorium vel examinatorium pro deſiderio & Captu Auditorum.

## In FACULTATE JURIDICA.

ANTON-HENRICUS MOLLENBECIUS, J.U.D. *Cod. Prof. Ord. & Jur. Facult. Sen.* In interpretandis & examinandis *Juris Civilis & Canonici Differentiis*, ſervato eo, qui Dn. *Cunrado Rittershuſio* in hiſce placuit, Ordine, publicè progredietur; Certò confiſus, doctrinam hanc cupidis LL. Cultoribus, Dominis Studioſis, fore utiliſſimam; ex qua variarum materiarum, ſcitu neceſſariarum, cognitionem, compendiariâ viâ atque jucundâ utriusque Juris collatione, ſibi comparare poſſint. In privatis prælectionibus pertractabit, quæ adhuc reſidua ſunt; Et ſi adfuerint non nulli, qui ſub ejus manuductione *Diſputatorium* aliquod, ſive *publicum*, ſive *privatum*, vel etiam *alterius generis Juridicum Exercitium*, denuò deſideraverint, illis operam ſuam atque *induſtriam non denegabit*.

FRIDERICUS NITZSCHIUS D. & *Prof. Jur. Ord. Publicè* V. D. Criminalium Explicationem ex Pandectis adhuc tradendam ad finem perducet. *Privatim* Collegium Digeſtorum ad Dn. *Struvii* Syntagma abſolvet, & poſtquam in Jure Publico *Mylerum* de Principibus & Statibus Imperii iteratò ad finem perduxit, alium Juris Publici Autorem ad placitum Dnn. Studioſorum prælegët.

NICOLAUS THILEN, J.U.L. & *Prof. Ord.* pro cathedra publica materiam rerum juxta ſeriem Inſtitutionum declarabit; Privatim verò, prout lubitum erit, vel in Capitulationes Imperatorias vel Conſuetudines Feudales com̃entabitur, aliaq; privati Juris Collegia ad votum Auditorum inſtituet.

## In FACULTATE MEDICA.

LAURENTIUS STRAUSSIUS, *Med. D. & Pract. Prof. O.* juxta ductum, atque ordinem in *Palæſtrâ* ſuâ *Medico Practicâ*, obſervatum, Morborum *θεωρίαν* atq; *θεραπείαν publicè* exponere, ſimulque controverſias ibi leviter tactas, paulò prolixiùs, quantum quidem ad Philiatrorum utilitatem pertinebit, reſolvere perget. *Privatim* v. Collegium *practicum* ante ſemeſtre cœptum, ſi ita viſum Dnn. *Auditoribus* fuerit, ad umbilicum, *σὺν θεῷ*, deducet. Quòd ſi inſuper quibuſdâ φιλιατρῶν arriſerit, *publ.* in *Palæſtrâ Medicâ Exercitium* continuare operam iis promtam pollicetur. Cumq; publicum nunc adornetur *Laboratoriũ Chymicum*, non deerit commoda iis occaſio, qui in *Chymicæ Artis* Laboribus exerceri, atq; proficere voluerint.

MICHAEL Heyland / *Phil. & Med. D. & Prof. Ord.* in prælectionibus publicis Pathologiam, ea qua hactenus uſus eſt methodo tradet. Privatim pro poſſe Dnn. Philiatrorum deſiderio ſatis faciet.

LUDOVICUS CHRISTIAN. TACKIUS, *Med. Lic. ejusd. Prof. P.* uti cœpit, publicè Diætam prælegët, una cum Materia Medica, & quæ, eâ neceſſitate, referantur ad doctrinam, de morbis cognoſcendis, præcavendis, curandis, dijudicandis, ex fonte practico declarabit, non omittens Jonſtonis Ideæ Medicinæ Practicæ librum; quicquid huc lucis ex ſententiis Hippocratis, Galeni & Hermeticorum irradiare poterit, id quam ſollicitè & ſimul eò diriget; Cætera per quietem lectionum privatarum, offert Dominis Philiatris, quæ deſiderabunt ex arte alia. *Eligant modo, Diſputando, explicando an examinando, inſtitutionibus*, aut quacunq; Medicinæ *parte*, ſibi felicius Conſultum velint. Ita annuat Jehova.

## In FACULTATE PHILOSOPHICA.

M. JOHANNES Weiſſ / *Mor. & Civ. Prof. Ord. Fac. Phil. Sen. in publicis lectionibus* Ethicis, DEO clementer juvante, materiam de Magnanimitate & Modeſtiâ &c. Juxta compendii ſui Ethici ſeriem proponet. In Politicis v. doctrinam de Ariſtocratiâ & Oligarchiâ, nec non de Politiâ & Democratiâ &c. tradet. Inſuperque præſidium ſuum in diſputationibus Moralibus & Civilibus, typis excudendis, offert. *Privata* quoque *Collegia* Ethico Politica lectorio-examinatorio-diſputatoria ad Dnn. Studioſorum votum inſtituet.

LAURENTIUS STRAUSS. *Philoſ. Natural. Prof. Ordin.* In *Phyſicis* utiliores, quæ in *Generali Phyſic. parte* occurrunt, *controverſias*, juxta ductum *Iſagoges* ſuæ *Phyſicæ publicè* examinabit, ſuamque ſingulis ſententiam adjiciet: *Privatim* verò deſiderio Dn. *Auditorum*, (*ſive explicatorium*, ſive *diſputatorium* petierint collegium,) *ſeſe accommodare*, (*Deo vitam viresque clementer concedente*) allaborabit.

M. HEINRICUS PHASIANUS, *Hiſt. Orat. & Poet. Prof. O.* hiſtoricam expoſitione ad *Bunonis* Ideam publice D. V. continuabit Privatim vero ſtyli exercenditationem, ſive Epiſtolis texendis, ſive ſcribendis Orationibus, fideliter commonſtrabit.

DAVID CLODIUS, *Ling. Orient. Prof. Ord* publice cum Deo in exponenda *Syntaxi Hebræorum* (cum eò pervenerit) perget: Privatim v. *Collegium Hebræum* Gram̃aticum aperiet, ut & *Philologicum*, cætera Auditorum optioni relinquens.

M. BALTHASAR MENTZERUS, *Prof. Mathem. Publ. p. t. Acad.* RECTOR, quod Lectiones publicas concernit, ob negotia Rectoralia, promittere multa vix poteſt. Privatam tamen operam ſuam Mathematum Cultoribus non denegabit.

M. JOH. DANIEL ARCULARIUS, *Log. & Metaph. Prof. Ord.* Quæ ſuperſunt enodanda veritatis Primæ Axiomata, juxta ſeriem capitum à pleriſque obſervatam, publicè declarabit, & *vindicata à perverſa tam explicatione quàm applicatione*, uſui genuino reſtituet. Praxin Logicæ quoad eruendam formæ vim, vel introducendam terminis cognitis, per exempla ſacra, ad methodum Polemoſophiæ S. docebit. Privata ſtudia definienda non tam ſibi, quàm futuris Dnn. Auditoribus permittit.

GISSÆ, ex Typograph. Academ. B. KARGERI.

# RECTOR ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMUS,
## ILLUSTRISSIMUS ET GENEROSISSIMUS DOMINUS,
# DOMINUS LUDOVICUS,
## COMES IN SOLMS, DOMINUS IN MUNZENBERG,
### WILDENFELS ET SONNEWALD,
# TOTUSQUE SENATUS ACADEMIÆ,
### OMNIBUS OMNIUM FACULTATUM STUDIOSIS GRATIAM ET SALUTEM!

Viros à ſolida & eximia excultos ſcientia, illis qui ſeſe in ſuam daturi ſunt diſciplinam & informationem, autores eſſe, viam præſertim illam, quam excellentiſſimorum omnis memoriæ hominum ſignatam atque impreſſam experimur veſtigiis, toto pectore omnique animi contentione ſequendam, ne dum nobis plus juſto ſapere videmur, aliosque noſtro ſupercilio, ut leviter, communiter, tritè & protritè incedentes, contemnimus, in primo ſtatim ſapientiæ parandæ limine, à vero eoque regio deviantes tramite, ad ſtultitiæ portas deducamur, ut gaudemus, ita & calculo noſtro comprobamus. Eſt illud ſanum atque ſanctum ſapientiæ & prudentiæ conſilium, eſt interea, quæ ad comparandam honeſtarum artium & diſciplinarum notitiam, de ratione ſtudiorum tradi ſolent præcepta, loci non imi, eſt inſtituti quoque laudatiſſimi, quo Majores noſtri, autoritate eminentes, adhibitis in conſilium viris, divinis à natura inſtructis ingeniis, à ſtudiis variarum doctrinarum eruditis & à diuturno præprimis frequentiq; ſcholaſticarum rerum uſu peritis, pro ſua, qua pollucre poteſtate, proq; ea, qua tot documentis edocti conſecuti fuere, propria experientia, ſcholas, Academias, Gymnaſia & Collegia, quæ voluere extructa & ædificata in ſedem & officinam virtutum, domicilium literarum, templum ſapientiæ, ſeminariumque pietatis & morum probitatis, generaliter & in univerſum munivere & in ea proviſione conſtituere, ut nemo diſcentium ſit ſine magiſtro, nemo omnium ſine ſymbolo, ſine labore & induſtria, ſed ut in eodem loco, certa lege certoque diſtinctè ſervato ordine convenientes, quicunque literarum artiumque cultores, docentes, diſcentes, loquentes, audientes aut tandem mutuò conferentes, ſuum præſtent officium, ſuasque ex paratis & propoſitis omnis generis ferculis, pleniſsimè exſatiati, dulciſſimas referant delicias. Has pulcherrimas animorum epulas, hæc ſeniorum veneranda inſtituta, hæc tui ordinis laudatiſſima officia, ne contemne ſuperciliosè, ſed intra tramitem communem, ſecurum atque futurum te juſtè & prudenter contine, qui ſapientiæ amas tenere viam & naturam. Hunc qui negligit ordinem, hanc viam qui dimittit, & mentem ſuam prodit non bene picatam, & damna facit ſcientiæ publicis uſibus conſolidandæ. Intra hanc communem viam procedentes ſingularum Facultatum Doctores & Profeſſores, quid in hac Academia per inſtans ſemeſtre æſtivum ſint propoſituri, ſchema præſens diſtinctè exponit, qui aures dederit vocanti DEO, tantumque diligentiæ ex diſcentium attulerit ordine, quantum illi ex docentium, faciet ex natura relatorum, quod legibus eſt congruum, DEO gratum, ſuoque ſtatui honorificum; Quod ut fiat, faxit qui ſtudiorum eſt autor & director ſummus! P. P. Gieſſæ ſub Sigill. Acad. Maj. d. 2. Apr. 1682.

## In FACULTATE THEOLOGICA.

JOHANNES NICOLAUS MISLERUS, *SS. Theologiæ D. ejusdemq́, Prof. P.* In locorum V. & N. Teſtamenti explicatione, juxta ſeriem articulorum fidei, in Lectionibus publicis, Volente DEO, perget. In privatis præſtandum quid ſibi polliceri poſſint Theologiæ Studioſi, ipſorum deſiderio relinquitur, cui explendo ad Auditorum nutum, ſuâ non deerit operâ.

PHILIPPUS LUDOVICUS HANNEKENIUS, *SS. Theol. Doct. & Prof. Ord.* Continuabit, DEO gratiosè annuente & aſpirante, Lectiones publicas in memorabilia Auguſtanæ Confeſſionis. Privatim autem ſe accommodabit deſiderio Dominorum Auditorum, maximè contra Novatores, qui vocantur, diſputaturus. Diſputationes, quæ Ectypa audiunt divinæ voluntatis circa ſalutem humanam, porrò habebit publicè & abſolvet.

KILIANUS RUDRAUFF, *S.S. Th. D. & Prof. & p. t.* PRO-RECTOR, poſt difficiliora in lectionibus publicis propoſita Moſaica & Prophetica, quæ ſuperiori ſemeſtri abſolvit, progredietur, quantum negotia publica permittent, ad evangelica & Apoſtolica N. T. eaque publicè explanabit. In Collegiis privatis reſpiciet Dn. Auditorum vota, præprimis autem Colleg. habebit in libros ſymbolicos, quos ſuis diligenter tractandos commendabit Collegis. In diſputationibus publicis de S. Scriptura perget, illisque hoc ſemeſtri, DEO clementer largiente, imponet finem, additis quibusd. etiam de ſingularibus materiis.

DAVID CHRISTIANI, *S.S. Theol. D. & Prof. Ord.* DEO favente, pertextâ publicarum prælectionum, de Codicis Hebræi in V. T. corruptione, telâ, ad Controverſias alias progredietur. Privatim verò, abſolutis Collegiis, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Juris Canonici & Catechetico Lectorio; Diſputatorium Catecheticum & in Auguſt. Conf. DEO clementer adſiſtente, porrò ex Dnn. Studioſorum voto aperiet.

DAVID CLODIUS, *S.S. Theol. Doctor & Prof. Extraord.* publice poſthac V. D. pericopas Evangelicas prælеget, ea methodo, quâ explicatis difficilioribus, ſolutisque quæ ab Adverſariis objici vel opponi ſolent, uſus elenchticus, moralis &c. oſtendetur: In privatis potiſſimam rationem Dnn. Auditorum habebit, non denegaturus quicquam, quod uſui illis eſſe cognoverit.

## In FACULTATE JURIDICA.

ANTON-HENRICUS MOLLENBECIUS, J.U.D. *Cod. Prof. Ordin. & Jurid. Facult. Sen.* Utiliſſimam illam & non minus jucundam, utriusque *Civilis* & *Canonici Iuris* collationem, D. V. publicè continuabit, juxta ductum & ſeriem, quam in Septem ſuis *Differentiarum* libris concinnavit Dn. Rittershuſius, JCtus Celebratiſſimus. Privatim denuo Diſputatorium aliquod, vel etiam alterius generis aperiet Exercitium, ad quamcunque juris partem cupidi LL. Cultores, Domini Studioſi, id ipſum deſideraverint.

FRIDERICUS NITZSCHIUS, *Phil. & J. U. D. Pandect. Prof. Publ.* Cùm in Criminalium materiâ ea, quæ pauca adhuc reſtant, abſolverit, *Publicè* Titulum Digeſtorum *de Iudiciis* V. D. explicabit. *Privatim* verò abſolutis Collegiis tàm *Digeſtorum Struviano*, quam quod ad *Notitiam S. R. Imperii Cl. Bœcleri* adhuc habet, & durantibus feriis abſolvet, aliud *Pandectarum*, & præterea ſive, *Juris Publici*, ſive *Feudalis* ſive etiam *Juris Naturalis & Gentium* Collegium ad placitum *Dnn. Studioſorum* habebit.

NICOLAUS THILEN, J.U.L. *& Prof. Ord.* publicè Inſtitutiones Juſtinianeas tractabit; privatim verò, finitis lectionibus feudalibus, jus publicum, aliaque pro captu & deſiderio Auditorum exponet.

## In FACULTATE MEDICA.

LAURENTIUS STRAUSSIUS, *Med. D. & Pract. Profeſſ. Ordinar.* neceſſariam non minùs ac utilem *de Febb. Doctrinam, ſeu ſυνηγῦντ@*, *publicè* expoſiturus, ea potiſſimùm, quæ in *Williſii Diatrib. de Febrib.* occurrunt, contemplabitur, & cum *Sennert. Epiſt. de Febb.* conferet. Quoad *privata* v. Exercitia liberum relinquet Dnn. *Philiatris*, quô ipſimet argumentô, & materiâ practicâ ejus excitare ſtudium velint. Quodſi inſuper reperientur, qui in *Palæſtrâ Medico-Practicâ*, (cujus *Pars prima* nunc ad finem deducta eſt) vel *publicè* vel *privatim* ingenii vires periclitari geſtiant, iis quoque (DEO ſanitatem concedente) fidem atque induſtriam indefeſſam pollicetur.

MICHAEL HEYLAND, *Phil. & Med. Doct. & Prof. Ord.* Publicè Pulſuum Doctrinam exponet. Privatim & captui & votis Dnn. Philiatrorum promptiſſimum ſe exhibebit.

LUDOVICUS CHRISTIANUS TACKIUS, *Med. Lic. ejusdemq́, Prof. Ord.* uti cœpit, publicè Diætam prælеget, una cum materia Medica, & quæ eâ neceſſitate referantur ad doctrinam de morbis cognoſcendis, præcavendis, curandis, dijudicandis, ex fonte practico declarabit, non omittens Jonſtonis ideæ Medicinæ practicæ librum, quicquid huc lucis ex ſententiis Hippocraticis, Galeni & Hermeticorum irradiare poterit id quàm ſolicitè & ſimul diriget; Cœtera per quietem lectionum privatarum offert Dominis Philiatris, quæ deſiderabunt ex arte alia.

## In FACULTATE PHILOSOPHICA.

M. JOHANNES WEISS, *Mor. & Civ. Prof. Ordin. & Fac. Phil. Sen.* Publicè in Ethicis materiam de Virtutibus homileticis tradet; In Politicis naturam de Majeſtate ejusque juribus in genere proponet. Prætereaque præſidium ſuum in diſputationibus, typis excudendis offert. Intra privatos parietes collegia quoque lectoria, examinatoria & diſputatoria inſtituet, Dnn. Studioſorum deſideriis, in quantum valet, B. C. D. ad vota ſatisfacturus.

LAURENTIUS STRAUSSIUS, *D. & Phyſic. Profeſſ. Ordinar.* *Publicis* in Prælectionibus *partem Iſagoges ſuæ Phyſicæ Specialem, ευν Θεῷ*, aggredietur, & juxtà ejus ductum controverſias ibi utiliores ventilabit. *Privatim* verò ea, quæ à Dnn. Auditoribus deſiderari intelliget, vel *diſputando* vel *examinando* pertractabit.

M. HENRICUS PHASIANUS, *Hiſtor. Orat. & Poëſeos Prof. Publ. Ordin.* lectiones hiſtoricas in notam ideam D.D. publicè continuabit. Privatim vero operam probare nitetur pro viribus, qui ſuis eam uſibus è numero Dnn. Studioſorum expoſcent.

DAVID CLODIUS, *Ling. Orig. Prof. Ordinar.* poſthac D. d. Chaldæam Syriamve Linguam profitebitur; Privatim in Collegio Philologico perget, & ſi alia adhuc deſiderata fuerint, operam ſuam non denegabit.

M. BALTHASAR MENTZERUS, *Prof. Mathemat. Ordin.* ea, quæ in Aſtronomicis publicè explicanda reſtant, D. A. continuabit, junctis Arithmeticis Quæſtionibus, & compendiis jucundis atque curioſis, Statutis ita volentibus; Privatim, methodo conſueta, collegium continuabit Geometricum, pro deſiderio etiam aperiet Fortificatorium & Arithmeticum; aliaque communicabit tam theoriam, quam praxin concernentia.

M. JOH. DANIEL ARCULARIUS, *Log. & Metaphyſ. Prof. Ord.* Lectionibus publicis proponet & examinabit ex Inſtitut. Philoſ. Anton. Le Grand. Partem primam Logicam, quam XXII. Articulis comprehendi voluit author; addendo ſimul è Metaphyſicis ejusdem Theologiam Naturalem, quam tria abſolvunt capita, accuratâ contemplatione digna. Privatos labores inſtituat ex placito Dnn. Auditorum.

GISSÆ, Ex Chalcographéo Academ. Kargeriano.

# ACADEMIÆ GISSENÆ
# RECTOR,
## TOTUSQUE PROFESSORUM ORDO,
### SUIS CIVIBUS SALUTEM!

*Epicurus ſeipſum habuit Magiſtrum. Itaq; mirum non eſt, eum, in quo tam miraculoſi eruditionis fomites fuerunt, tam plauſibiles diſputationes ſuſtentaſſe.* Verba ſunt Fr. Petrarchæ. Philoſophum huncce ſuæ Sectæ Anteſignanum primumque Architectum ob rariores ingenii ſui dotes prædicantia, ſed ſimul quoque haut obſcurè innuentia, quam fœcunda, infelix tamen abſurdiorum opinionum Mater ſit αὐτοδιδακτία: Sane ſi ad fundum usque hic Philoſophus exhauſiſſet præcepta Ariſtotelis, quæ initio, pauco tamen tempore, in Peripato primis hauſiſſe libris aſſerunt alii nonnulli, nunquam eſſet lapſus in tam graves & à recta ratione omnimodo abhorrentes errores, quos fovit circa Summum Bonum, in Corporis voluptatibus illud locans, neque negaſſet animæ immortalitatem, Supremi Numinis providentiam, ex quo Relligio pedibus ſubiectâ viciſſim obteritur prout canit Lucretius, atque plura alia, in quæ ſaniores Philoſophi ab aliis edocti conſenſere. Adeo facilis eſt à recto veritatis tramite in errorum labyrinthos deviatio, ſi hoc ipſum iter absque fido fueris ingreſſus Duce, tuis ingenii viribus tantum confiſus. Agnovit hoc Renatus des Cartes quoad αὐτοδιδακτίαν & deſpectum aliorum Eruditorum, num & in nonnullis dogmatibus? Epicuro ſimilis, quippe qui non vult cuiquam eſſe Autor, ut ſimile quid in acquirenda eruditione aggrediatur, quin veretur, ne hoc ipſe quod ſuſcepit, tam arduum & difficile ſit, ut valde paucis expediat imitari, ſuadetque maximam fere partem eorum qui ſtudiis incumbunt, debere potius à Sapientioribus opiniones quas ſecuturi ſunt, accipere, quam alias proprio ingenio inveſtigare. Ut ita jure dubites, magisne illi curæ fuerit veritatis inveſtigatio, an pro obtinendo inter Philoſophos principatu dejectis de Solio prioribus certâverit, quo de Alii alibi judicent. Noſtrum jam eſt Noſtros præmonere, caveant ſibi à methodo illa, qua jubentur in dubium vocari omnes vulgo receptæ opiniones, ni à trita via recedentes velint experiri, quod iis eventurum ipſe ſenſit Carteſius. Sic habent verba: *Non facile illi ſemita, quæ rectius ducit, inſiſtent, ſed vagi potius & incerti in reliquam vitam aberrabunt.* Quapropter ſequentem promulgamus Laborum Academicorum Catalogum, ut univerſis conſtet, quem quisque in ſuis ſtudiis fidum poſſit habere, ſibique eligere per ſubſequens Semeſtre hybernum manuductorem. Benedic ô DEUS conatibus Noſtris! B. V. P. P. ſub ingreſſum Nundinarum Autumnalium Anno reparatæ Salutis cIↄ Iↄc LXXXIV. Sub Sigillo Academiæ majore.

## IN FACULTATE THEOLOGICA.

PHILIPPUS LUDOVICUS HANNENENIUS, *SS. Theol. D. & Prof.* DEO gratioſè volente & opitulante in Lectionibus *publicis* continuabit ea, quæ ad *Libros Concordiæ* explicandum ſuſcepit. In Collegio *privato* abſolvet notas & animadverſiones in *Syſtema Theol. Mareſianum.*

KILIANUS RUDRAUFF, *Theol. Doctor & Profeſſ.* annuente Divina Clementia, in Lectionibus publicis, tractabit, & explanabit Diſtinctiones Theologicas, quæ in ſingulis locis Theologicis commodè uſurpari ſolent & poſſunt, additis etiam illis, quæ aliquando à Maximè Rev. *Dn. Doctore Steubero*, p.m. Theol. eo tempore Marpurgi accuratiſſimo, privatim traditæ fuere Collegis & Auditoribus ſuis. Et in revidenda atque extendenda ſua Controverſiarum Sylloge, publicè diſputando, porrò perget. In privatis reſpiciet Dn. Auditorum deſideria, quibus offert Collegium Diſputatorium in examen Concilii Tridentini Beat. *Chemnitii*, Theol. ſummi: Nec non explicatorium ad Syſtema ſuum antehac dictatum Theologicum.

DAVID CHRISTIANI, *SS. Theol. D. Prof. Ord. Facult. Theolog. Decanus*, in prælectionibus *publicis* continuabit Hiſtoriam Syncretiſmi contra Calvinianos, quâ abſolutâ aggredietur Syncretiſmum contra Pontificios. Diſputationes publicas Anti-Calvinianas continuabit. *Privata* Collegia in Auguſtanam Confeſſionem, vel Jus Canonicum vel Hiſtoriam Eccleſiaſticam, ad Auditorum Academicorum votum aperiet.

DAVID CLODIUS, *S. Theol. Doctor & Prof. Extraord. Publicè*, D.d. per ſemeſtre, quod inſtat, brumale, vel *Librum aliquem Biblicum* Theologicè pariter atque Philologicè, prælleget, vel *Evangelia*, ut vocant, *Dominicalia* ita exponet, ut eorum ſenſus genuinus oſtendatur, uſusque omnis generis, ſive ἐλεγχτικὸς ſive ἐπανορθωτικὸς & quæ ſunt præterea, ſpectes, commonſtretur. Privatim Collegium aperiet *Anti-Pontificium*, vel Exercitium Concionatorium inſtituet, vel quodcunque viſum fuerit Auditoribus magis utile atque neceſſarium habebit, pro viribus enim annitetur, ut illorum deſideriis ſatisfiat.

## IN FACULTATE JURIDICA.

ANTON HENRICUS MOLLENBECIUS, JUD. Cod. Prof. Ordin. & Jurid. Facult. Sen. *Differentias Juris Civ. & Canonici*, & quidem, quas de JUDICIIS, materiâ ſitu maximè neceſſaria, atque in foro & praxi fertiliſſimâ, Dn. Cunrad. Rittershuſius in ſuo Tr. Lib. V. eleganter congeſſit, publicè interpretari continuabit, & quæ reſidua adhuc ſunt capita, eâ qua cœpit methodo DEO annuente, abſolvet. Quod ſi fuerint nonnulli, qui etiam privatam ipſius manuductionem, in *Collegio Feudali*, aliove inſtituendo Exercitio, expetierint, illorum deſiderio, quantum poterit, ſatisfaciet.

FRIDERICUS NITZSCHIUS, *Phil. & U. J. D. & Prof. Ord.* D. V. Leges Imperii Fundamentales reliquas, in ſpecie verò *Tranſactionem Paſſavienſem* cum inſecutâ *Religionis Pace*, eâque abſolutâ *Inſtrumentum Pacis Oſnabruggenſe & Monaſterienſe* unà cum iis, quæ ex *Pace Nimvvegenſi* inibi mutata ſunt, breviter *publicè* proponet. *Privatim* verò Collegium *Digeſtorum*, nec non *Juris Feudalis* ad Struvium vel Schnobelium habebit, quemadmodum & *Notas ad Bœcleri Notitiam* Imperii B.C.D. abſolvet.

NICOLAUS THILEN, *Jur. Prof. Ord.* pro cathedra publica Wurmſeri Exercitationes Juris publici continuabit; horis verò privatis explicabit Inſtitutiones Juris, una cum poſteriori Digeſtorum parte, atque ſimul diſputandi exercitium inſtituet.

JOH. NICOLAUS HERTIUS, *J. U. Licent. & ej. Profeſſ. Extraord.* Privatim ſive ad Inſtitutiones ſive ad Digeſta, quibus libuerit operam ſuam exhibebit. Publicè, poſt lectiones politicas in Houtuynum ad finem perductas, materiam teſtamentariam juxta methodum Inſtitutionum explicabit: neque deerit cupientibus in argumentis, ſive publici ſive privati juris, ſe diſputando exercere.

BERNHARDUS LUDOVICUS MOLLENBEC, *J. U. L. & Prof. Extraord. Publicè* Diſſertationibus Schnobelianis eventilatis, materiam *Delictorum*, juxta ordinem quem Digeſta in libris terribilibus exhibent, pertractabit. *Privatim* cœptum juris Publici Collegium ad celeberr. *Dn. Schvvederum* continuabit, & alia quæ fuerint deſiderata inſtituet.

## IN FACULTATE MEDICA.

LAURENTIUS STRAUSSIUS, *Med. D. & Practic. Profeſſor Ordinarius*, poſtquam Lectionibus *Publicis* ea, quæ in exponendâ *Caſuum Reſolutione* reſtabant, ad finem deduxit, aggredietur nunc D. V. explanationem *Affectuum Capitis*, quos quidem *Palæſtra Medica* comprehendit: id operâ ubique daturus, ut non tàm ſubtilitatem in ſuperfluis, quàm utilitatem in neceſſariis oſtendat. *Privatim* vero ea inſtituet Collegia, quæ à Dnn. φιλιάτροις potiſſimum expeti, ac deſiderari intelliget.

MICHAEL Heiland, *Phil. & Med. D. & Prof. Ordin.* pro RECTO, quam primum publica negotia inducias conceſſerint, Chirurgica in Cathedra docebit. Privatim ea tractabit, quæ Dnn. Philiatris ex uſu fore intellexerit.

LUDOVICUS CHRISTIANUS TACKIUS, *Med. Lic. ejusdemq; Prof. Ord.* uti cœpit, publicè Diætam prælleget, una cum materia Medica, & quæ ea neceſſitate referantur ad doctrinam de morbis cognoſcendis, præcavendis, curandis, dijudicandis, ex fonte practico declarabit, non omittens Jonſtonis Ideæ Medicinæ practicæ librum, quicquid huc lucis ex ſententiis Hippocratis, Galeni & Hermeticorum irradiare poterit, id quàm ſolicitè & ſimul eò diriget; Cæterum per quietem lectionum privatarum offert Dominis Philiatris, quæ deſiderabunt ex arte alia.

## IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

LAURENTIUS STRAUSSIUS, *D. & Phyſic. Profeſſ. Ordinar.* proximis Lectionibus Hiemalibus *Iſagogen* ſuam *Phyſicam*, DEO benè adjuvante, *publicè* expoſiturus, *Præceptorum* inprimis & *theſium* explanationi immorabitur; αἰτιολογίαν vero & *controverſias* utiliores *privatis* reſervabit Collegiis, ſi quibusdam hujus ſtudii Cultoribus ita arriſerit.

M. HEINRICUS PHASIANUS *Hiſtor. Orat. & Poëſ. Prof. Publ. Ordinarius*, ea, quæ in tradenda Hiſtoria Auguſta reſtant, publicè, DEO benè juvante, proſequetur. Privatam operam Auditorum vota dirigent, quibus, in Hiſtoricis æque ac Oratoriis, implendis, pro viribus laborabit.

DAVID CLODIUS, *S. Th. D. & Ling. Orient. Prof. Ordinarius* publicè quidem, ut ſupra ſignificavit, Lectiones Philologicas cum Theologicis fructuoſa methodo, ut videbitur, conjunget. Privatim vero, quæcunque Ling. Orient. deſiderabitur, eam docebit. In primis tamen, cum *Breviarium* ejus *Grammaticum* linguæ ſanctæ propediem lucem viſurum ſit, illud prælleget ea methodo, ut, modò quis mediocrem adhibuerit diligentiam, ſemeſtri uno eò deducturus ſit Auditorem, unde Marte proprio, quod ajunt, ad alia feliciter poſſit pergere. Sin vero alia deſiderata fuerint, ea quoque non denegabit, quippe qui id daturus eſt operam ne quid qui fruſtra expetitum fuiſſe jure dici queat.

M. BALTHASAR MENTZERUS, *Prof. Mathem. Ord.* Arithmeticam, quam præterito non potuit abſolvere ſemeſtri, Publicæ prælleget, eaque quæ ex Aſtronomicis explicanda reſtant, horis conſuetis quoque proponet, ſolito etiam tempore aſteriſmos, in ſpecula, cœlo favente, demonſtrabit, & in artificiali Sphæra dignoſcendo: exhibebit: Privatim Collegium Geographicum ſimul ac Aſtronomicum aperiet, nec in aliis deſiderio Dn. Auditorum ullo modo deerit.

JOH. DANIEL ARCULARIUS, *Logic. & Metaph. Profeſſ. Ordin.* ea quæ brevitate temporis impeditus, per ſemeſtre æſtivum abſolvere non potuit, *Stengelii* nimirum *de bono & malo Syllogiſmo libellum*, & *Voetii Pneumaticam*, lectionibus publicis proponere & explicare perget. Privatâ quoque operâ Auditorum deſiderio ſatisfacere omni modo annitetur.

JOH. NICOLAUS HERTIUS, *Profeſſ. Politica Ordinar.* Commentationes ad Houtuyni Politicam generalem continuabit, & volente DEO, quam primum fieri poterit, abſolvet. In privatis Lectionibus deſiderio eorum, qui prudentiæ civili operari volent, ſe accommodabit.

BERNHADUS LUDOVICUS MOLLENBEC, *Moral. Profeſſ. Ordinar.* publicè quæ in virtutum moralium expoſitione reſtant abſolvet: Privatas horas voto relinquet & deſiderio Dominorum Auditorum.

GISSÆ, Literis Academicis KARGERIANIS.

# ACADEMIÆ GISSENÆ RECTOR,

# PHILIPPUS, D. G. HASSIÆ LANDGRAVIUS, PRINCEPS HERSFELDIÆ, COMES IN CATTIMELIBOCO, DECIA, ZIEGENHAINA, NIDDA,

SCHAUMBURGO, ISENBURGO ET BUDINGA &c.

## *TOTVSQVE SENATVS ACADEMICVS,*

*OMNIVM FACVLTATVM STVDIOSIS.*

S P.

M*Agna* licet & *generoſa res ſit animus humanus*, juxta Senecam. *Ep. 102.* qui nullos ſibi poni, niſi communes & cum DEO terminos patiatur, cui nullum ſeculum clauſum, cujusque cogitationi nullum non tempus pervium ſit, tanto tamen majori curâ hic inſtituendus formandusque eſt, quantò periculoſius errare ſolet, ſi ſuo arbitrio pervagari hæc univerſa absque ductore magiſtrove velit: *Ipſa ſemet impediet in eo cupiditas diſcendi, quâ flagrare ſolet*, niſi magnâ ſolertiâ dirigatur, *avidè invadet univerſa, paſſim carpet*, & tanquam nudè deguſtato magno ciborum apparatu, recedet æque acante famelica. Novit huic malo mederi peritia Doctorum, qui animum diſcendi cupidum, per partes ducunt ad totum, aptantque onus viribus, ne plus occupet, quàm cui ſufficere poſſit. Unde hos ſecuti ſunt, per longa ſæpe viarum ſpatia, culturam ingenii ſui amantes Diſcipuli, *ipſosq; adire, tanquam multorum hæreditatem*, magno *hos juvaſſe* commodo ſcribit Seneca *Ep. 64.* Quos non in amorem ſui pellexerant, Patriæ ſuæ ſponte exules, turbâ ſapientum celebres Athenæ? *Quàm non indigenæ tantum, ſed & de exteris innumeri, relictâ patriâ ſeſe applicuerint Origeni*, id loquitur *Hiſtor.* Euſebii, *libr. 6. cap. 30.* Indignè tulit, *Plinius Secundus*, cùm videret municipes ſuos Mediolanum petere, ſtudiorum causâ, percontatusque rationem, id acciperet reſponſi, *Quia nullos hic habemus Præceptores, libr. 4. Ep. 13.* Ne nobis idem quod his accideret, prohibuit cura Sereniſſimorum Principum Haſſiæ; Hi etenim quàm clementiſſimè proſpexerint hîc Patriæ noſtræ, id loquuntur ſubſequentia, quibus operam ſuam pollicentur in omni ſtudiorum genere, tam ſacro, quàm quod civili ſocietati colendæ ſervit, publicè conſtituti Doctores & Profeſſores. Agnoſcite beneficium Cives, & qui ab exteris huc confluxiſtis inquilini! Agite & oſtendite, idem diſcentibus quod docentibus eſſe propoſitum, & quantum hi prodeſſe volunt, tantum proficere Vos omni ſtudio conati. Poſuit id non in infimis laudum ſuarum Seneca, quòd *ad Scholam Attali conſueverit ipſe venire primus, & exire noviſſimus*, doluitque mores ſuorum, eò *quòd magnam partem auditorum viderit, quibus Schola Philoſophi ſit diverſorium otii. Ep. 108.* Meliora ſperantes de Vobis *Studioſi ornatiſſimi*, omninò confidimus, otioſos vos futuros minimè, cùm Ordo docentium in offerendâ operâ ſuâ ſemet exhibeat tam negotioſum: Cujus laboribus benedictionem de cœlo precamur uberrimam! Valete. Publicatum Gieſſæ, ſub Sigillo Acad. Maj. Dominicâ Judica. A.R.S. MDC LXXXV.

## IN FACULTATE THEOLOGICA.

PHILIPPUS LUDOVICUS HANNEKENIUS, *SS. Theol D. & Prof. Ordin.* Suſceptam vindicationem S. Scripturarum adverſus Reformatos, DEO volente & gratioſè adjuvante in Loco præſertim de Sacramentis, *publicè* continuabit. Et poſtquam feliciter per DEI gratiam finit exitque Collegium *privatum* contra Mareſium, perpetuis in Syſtema ejus Theol. annotationibus & obſervationibus elaboratum, correctionibus talibus Theologiæ Reformatæ aut porrò inſervire intendet Dominis Auditoribus privatis, aut Politiæ Eccleſiaſticæ ſcrutinium compendiarium aperire. *Diſputationes* etiam publicas, tum, quæ ectypa audiunt divinæ voluntatis, tum quæ nuper initium tenuere in Catecheſin Racovianam, bono cum DEO, ut alii labores ordinarii id permiſerint, ſtrenuè promovebit.

KILIANUS RUDRAUFF, *D. & Prof. Theol.* in Lectionibus publicis curſoriè hoc æſtivo ſemeſtri explanabit Artic. A. Conf. oſtendetque diſſenſum inter nos & Papiſtas in illis, ubi concordia ſperari non poteſt, realem eſſe. Addet etiam in Sylloge extenſiori controverſiarum diſpp. publ. quæ reſtant. In privatis ſeſe accommodabit ad deſiderium Dnn. Auditorum.

DAVID CHRISTIANI, *SS. Theol. D. & Prof. Ord.* in publicis Prælectionibus Hiſtoriam Syncretiſmi proſequetur, & Diſputationes publicas Anti-Calvinianas continuabit; in Collegiis privatis, Anti-Papiſticis & Anti-Calvinianis, eâ quâ cœpit, methodo & fidelitate perget, aliaque Collegia, ſi qui deſiderant, aperiet.

DAVID CLODIUS, *S. Theol Doct. & Prof. Extraordin. Publicè* poſthac, DEO volente, Locum de *Chriſto*, methodo quâ fieri poterit breviſſima, prælegetet, explicabit & vindicabit, Privatim vero *Collegium habebit in loca difficiliora ſcripturæ*, eo modo, ut Vetus Teſtamentum ſemeſtri Uno, altero Novum abſolvatur, ſuccinctumq; & ſolidum Commentarium Auditor habeat: Vel ſi magis placuerit Auditoribus, *Theticum* aliquod in *Univerſam Theologiam* aperiet; Neque deerit ſi qui *Exercitium homileticum* vel continuare vel de novo exordiri voluerint.

## IN FACULTATE JURIDICA.

ANTON-HENRICUS MOLLENBECIUS, *J. U. D. Cod. Prof. Ordin. & Jurid. Facult. Sen.* poſtquam præterito ſemeſtri in Tract. de *Differentiis Juris Civ. & Can*, Rittershuſiano, Librum V. *de Judiciis*, publicis prælectionibus abſolvit, proximè nunc, D.V. aggredietur Libr. VI. de CRIMINIBUS, ſuccinctè expoſiturus tum proceſſum in illis uſitatum Forenſem, tum ipſorum delictorum & criminum varias ſpecies, illisque de Jure Communi, nec non in Carolinis Conſtitutionibus præſtitutas pœnas atque ſupplicia. Materia hæc præ cæteris publicâ interpretatione & diſquiſitione diligentiori digna eſt, & in praxi, maximè hoc exulceratiſſimo ſeculo frequentiſſima. Privatim verò, unum vel alterum, ſive Lectorio-Examinatorium, ſive Diſputatorium fuerit, aperiet Exercitium, ad quamcunque juris partem cupidi LL. Cultores id ipſum expetierint.

FRIDERICUS NITZSCHIUS, *Phil. & J.U.D. Conſiliar. Haſſiacus & Pandect. Prof. Publ.* Tractatione de Judiciis Imperii in *Lectionibus Publicis* abſolutâ, ~~Materiam de Muneribus~~ & Jure immunitatis B.C.D. pertractabit. *Privatim* Collegia Digeſtorum explicando, examinando & diſputando, quemadmodum & Juris Feudalis, vel aliud, quod Dnn. Studioſi deſideraverint, Juris Collegium habebit.

NICOLAUS THILEN, *J. U. L. & Prof. Ordin.* pro cathedra, quæ in Wurmſeri Exercitationibus Juris Publici adhuc reſtant, explicabit: Horis verò privatis Inſtitutiones prælegetet, atque alia, quæ provectiores deſiderabunt, Collegia inſtituet.

JOH. NICOLAUS HERTIUS, *J. U. Licent. & Prof. Extraord.* inſtitutum ſuperioris ſemeſtris proſequuturus, ſingularia juris privati argumenta explanabit publicè, & interdum, majoris illuſtrationis gratiâ, quæ expolita ſunt, ad diſceptandum proponet. Privatim compendii Lauterbachiani quæ reſtant, DEO benedicente, abſolvet.

BERNHARDUS LUDOVICUS MOLLENBEC. *U. J. Lic. & Prof. Extraord.* Auditoribus publicis *illuſtres controverſias inter præclaros JCtos agitatas* proponet. Privatis vel *Inſtitutiones*, vel *Digeſta* vel denuò *Jus Publicum*, prout deſiderabunt, DEO bene juvante, prælegetet; & ſi qui diſputando exerceri velint, officio ſuo non deerit.

## IN FACULTATE MEDICA.

LAURENTIUS STRAUSSIUS, *Med. D. & Practic. Profeſſ. Ordinar.* in Prælectionibus *publicis* inchoatam *Affectuum p.n. Capitis* expoſitionem continuabit: *Privatim* verò *Materiam Medicam* ita pertractabit, ut Dnn. *Philiatris* ſelectiora ibi occurrentia, *cum ratione præſcribendi formulas Remediorum*, explicet. Γυμνάσματα quoque, ſi ita placuerit Auditoribus, in *Palæſtra Medicâ Practicâ*, continuabit.

MICHAEL Heyland / *Phil. & Med. D. & Prof. Ordin.* Publicè Chirurgicas Lectiones continuabit, non neglectis ſubinde Botanicis, ſudum cœlum ſi arriſerit. Privatim deſideriis Dnn Philiatrorum aſſurget.

LUDOVICUS CHRISTIANUS TACKIUS, *Med. Lic. ejusdemq; Prof. Ord.* uti cœpit, publicè Diætam prælegetet, una cum materia Medica, & quæ eâ neceſſitate referantur ad doctrinam de morbis cognoſcendis, præcavendis, curandis, dijudicandis, ex fonte practico declarabit, non omittens Jonſtonis Ideæ Medicinæ practicæ librum, quicquid huc loci ex ſententiis Hippocratis, Galeni & Hermeticorum irradiare poterit, id quam ſolicitè & ſimul eò diriget, Cæterum per quietem lectionum privatarum offert Dominis Philiatris, quæ deſiderabunt ex arte alia.

## IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

LAURENTIUS STRAUSSIUS, *Med. D. & Phyſic. Profeſſor Ordinarius*, quæ in *Parte* Phyſices *Generali*, pertractanda reſtant, juxta ordinem *Iſagoges* ſuæ *Phyſicæ*, *publicè* D.V. exponere perget. Neque *Privata* ſtudia Naturæ Cultoribus, ſicubi nonnullis hoc exercitii genus arriſerit, denegabit.

M. HEINRICUS PHASIANUS, *Hiſtor. Orat. & Poëſ. Prof. Public. Ordin.* potiſſimas, quæ reſtant, hujus & ſuperioris ſeculi res, ad Impp. ſeriem, à *Carolinis* exorſus, publice tradet; quibus ad finem deductis, pro temporis ratione, attexet enucleationem hiſtoricam antiquitatum, in ſelectis *Tullianis* occurrentium. Privatim Collegia habebit, vel *Curtianum*, vel *Livianum*, pro placito Auditorum; quod ipſum etiam reſpiciet, in oratorio aut epiſtolico aperiendo.

DAVID CLODIUS, *S. Theol. Doct. & Ling. Origin. Prof. Ordinar.* Publicas horas, Lectionibus Theologicis, quas ſupra ſignificavit, impendet. Privatis vero in *Analyſi Biblicâ* perget, & Auditoribus viam ad Rabbinica ſternet, cumprimis id aget, ut *Commentarium τοῦ R. Sal. ben Melech* (quo nemo inter literales Commentatores Judæorum melior) denuo excuſum rite intelligendo in uſus ſuos, quos egregios deprehendent, conferre poſſint. Grammaticum itidem ſive Hebræum fuerit ſive Syriacum vel Chaldæum vel quodcunque aliud poſtulantibus non denegabit.

M. BALTHASAR MENTZERUS, *Prof. Mathem. Ord.* Publicis Lectionibus Aſtronomiam prælegetet, jungendo Arithmeticam, quo ejusdem ſatisfiat Cultoribus: Privata Collegia aperiet varia, pro nutu & deſiderio Dnn. Studioſorum, Geometricum præprimis atque Geographicum, nova ac facili methodo pertracturus Compendium Geographicum, in uſus privatos ante annos aliquot conſcriptum, quod poſt nundinas lucem videbit, atque ex noviſſimorum Scriptorum annotatis, Blavii, du Val, Allain Maneſſon Mallet, Baudrand, aliorumque, illuſtratum.

JOHANNES DANIEL ARCULARIUS, *Theol. Licent. Log. & Metaph. Prof. Ordin.* quantum per negotia *Prorectoratus* licebit, prælectionibus publicis præerit. Privatim, vel Philoſophiam ancillantem *Baronii* examinabit, vel uſitata compendia tam Logicum, quàm Metaphyſicum, ad placitum Dnn. Auditorum tractabit, inprimis autem Exercitia Diſputatoria tam publica quàm privata Auditoribus ſuis commendabit, & ad hæc ipſa inſtituenda omnem operam ſuam offeret.

JOH. NICOLAUS HERTIUS, *Profeſſ. Politic. Ordinar.* privatas Scholas in Politicis erudiri volentium deſideriis accommodabit: Publicas variabit cum Juridicis.

BERNHARDUS LUDOVICUS MOLLENBEC, *Moral. Profeſſ. Ordin.* Proximis Lectionibus publicis Philoſophiam Moralem inclyti *Dn. Hornejo b.m.* docebit, privatos denuò labores ad placitum Auditorum Academicorum directurus.

GISSÆ, Literis Academicis Kargerianis.

# ACADEMIÆ GISSENÆ RECTOR,

# PHILIPPUS D.G. HASSIÆ LANDGRAVIUS, PRINCEPS HERSFELDIÆ, COMES IN CATTIMELIBOCO, DECIA, ZIEGENHAINA, NIDDA, SCAUMBURGO, ISENBURGO ET BUDINGA &c.

## *TOTUSQUE SENATUS ACADEMICUS,*

### *OMNIUM FACULTATUM STUDIOSIS.*

S. P.

QUantâ celeritate rapiant in admirationem imitationemque ſui, celebrium Virorum Scripta quidem, præprimis autem viva vox docentium, id diſcendi cupidus in ſemet ipſo facile experietur animus, multorumque Majorum exemplis comprobari videbit. Tanto certè ardore incitare potuit *Tulliana facundia* animum *Auguſtini*, tum, cum *nundinis loquacitatis commodaverat miniſterium linguæ ſuæ, futurus magnus verborum venditor, poſtquam in ediſcendis Eloquentiæ libris ejusq́, ſtudio eminere concupiverat*, (quæ Auguſtiniani ſtudii propria ἀφορμὴ eſt, *l.3. Confeſſ.c.4.& libr.9.c.2.*) ut, cùm cerneret, *linguam Ciceronis omnes ferè mirari, ordine diſcendi, ad ejus quoq; libros pervenerit, ſcripſeritq; ad Hierium Romanæ Urbis Oratorem, quem facie non noverat, amaverat tamen ex doctrinæ fama, audiveratq́; quadam verba ejus, quibus delectabatur, ut laudaret hominem, amaretq; abſentem*, nec acquieverit, priusquam Carthagine abierit Romam, petieritque Mediolanum, non tam inſtitutionem quàm verba capturus Ambroſii, *ſatagens hunc audire, non quæ, ſed quemadmodum diceret*, diſpari licet à propoſito ſuo, eventu. Qualia, ne eveniſſe credamus juvenili ardore concitato Auguſtini animo, in ſenibus hunc ardorem non omninò reſediſſe, ſuo exemplo docuit *Seneca, Epiſt.76.* cum *Metronacten Philoſophum, in quintum usq; diem, ab octavâ diſputantem audiret*, oſtenderetque notabili documento, etiam *ſenibus diſcendum eſſe, idque quamdiu vixerint*, quoniam *ſapere, nulli caſu obtingat, ſed labore non parvo, nec operâ levi nobis eveniat, videntiq́; ad honeſta hæc ſtudia, æquo animo audienda ſint imperitorum convitia, contemnendusque ineptorum, & inertium deriſus & contemtus.* Utinam ſimili ardore accendi, inflammarique animi Veſtri poſſent exemplis docentium in hac Academia, *Cives optimi!* Quantum Illi operæ & laboris ſui, Vobis offerant, quantâque celeritate ad docendum ſaluberrima quæque tam ſacræ, quàm profanæ eruditionis præcepta rapiantur, id ex ſubjecto Indice, ſub Nominibus Ipſorum exhibito, promtiſſimo animo legite. Si Providentia Numinis, clementiſſimaque Sereniſſimorum Fundatorum cura, liberavit Vos ab hoc metu, & ſorte infelici, quâ ſemet *Doctores vanitatibus ebrios*, ætate primâ *ambiviſſe* conqueritur Auguſtinus *l.5. Conf.c.12. qui melius eloquerentur, quæ meliora non erant, verbisq; ornatis, ceu vaſis politu miniſtrarent cibos noxios*; fas eſt, amplectamini hanc, gratiâ divinâ Vobis obvenientem ſortem, tantamque Docentium alacritatem & promtitudinem, in commoda Veſtra diligentiſſima curâ convertatis. Quem, ut largiatur Vobis animum, divina benignitas, ardentibus votis exoptamus omnes. Valete. Publ. Giſſæ Domin.XII.Trin. A.O.R. M DC LXXXV. ſub Sigill. Acad. Majore.

## IN FACULTATE THEOLOGICA.

PHILIPPUS LUDOVICUS HANNEKENIUS, *D. & Prof. Ord.* In *publicis Lectionibus* abſolvet, DEO gratioſè opitulante, vindicationem Scripturarum Sanctarum in Materia Sacramentaria adverſum Reformatos. *Privatim*, deſideratum in Politiam Eccleſiaſticam collegium, quod hoc interniundino haberi nequivit, adaperiet, ſin ardor perſtiterit *Dnn.* Auditorum; *ſin minus, Diſputatorium*, ad lubitum electum Auditorii, impertietur.

KILIANUS RUDRAUFF, *Theol. D. & Prof.* examinatis tanquam in præliminaribus articulis concordiæ ad unionem utriusque eccleſiæ Romano Catholicæ & Lutherano-Evangelicæ, paſſim hodie diſperſis, in lectionibus publicis conſenſum & diſſenſum oſtendet realem inter utriusque dictæ eccleſiæ aſſertiones, paucasque, quæ reſtant in auctiori controverſiarum ſylloge, addet diſſertationes publicas. In privatis reſpiciet Auditorum vota & deſideria, reviſurus, ſi ita viſum fuerit, explicando ea, quæ antehac in compendio thetico ad univerſam Theologiam tradidit.

DAVID CHRISTIANI, *SS. Theol. D. & Prof. Ord.* in Prælectionibus publicis *Hiſtoriam Syncretiſmi* abſolvet, *Diſputationes publicas* Anti-Calvinianas & *Collegia Anti-Papiſtica ac Anti-Calviniſtica* continuabit, aliaque Collegia ad placitum Academicorum aperiet.

DAVID CLODIUS, *S. Theol. D. & Prof. Extra-Ordinar.* publicè DEO benigne largiente *Epiſtolam ad Hebræos*, vel alium N.Teſt. Librum præleget: Privatis horis perget ut cœpit, in *enodandis difficilioribus locis V. Teſtamenti:* Prætereaque *Theticum* aliquod *Collegium* in Univerſam Theologiam aperiet.

## IN FACULTATE JURIDICA.

ANTON-HENRICUS MOLLENBECIUS, *J. U. D. Cod. Prof. Ordin. & Jurid. Facult. Senior*, præterito ſemeſtri, juxt. ductum Clariſſ. JCt. Rittershuſii Lib.VI. Differentiarum Juris Civ. & Canon. præliminaria, De *Accuſationibus, Inquiſitionibus & Denunciationibus*, ad proceſſum forenſem Criminalem quæ ſpectant, publicè expoſuit; proximè nunc D.V. varias & publicorum & privatorum delictorum ſpecies, & quibus ea pœnis atque ſuppliciis, de jure & hodiernis moribus, coërcenda veniant, ſuccinctè explanabit, reſidua Iſtius Libri Capita abſoluturus. Præterea in Collegiis privatim inſtituendis, qualia à LL. Cultoribus, Dominis Studioſis, deſiderabuntur, ſuam pollicetur promtitudinem.

FRIDERICUS NITZSCHIUS, *Phil. & U. J. D. Pandectarum Prof. Publ. & Judicii Reviſorii Haſſiaci Conſiliarius.* Publicè D.V. *Titulum Digeſtorum de Jure Fiſci cum ſequentibus* tractabit. Privatim verò Autorem aliquem *ad Digeſta* explicabit quemadmodum etiam *Collegium Juris Publici* deſiderantibus habebit.

NICOLAUS THILENIUS, publicè finitis Wurmſeri Exercitationibus, vel dictum Authorem repetet, vel alium pro captu Auditorum Juris publici Scriptorem explicabit. Privatim verò Inſtitutiones Juſtinianeas & poſteriorem Digeſtorum partem interpretabitur, ac diſputandi exercitium ſubinde inſtituet.

JOH. NICOLAUS HERTIUS, *J.U. Licent. & Prof. Extraordin.* explicationem compendii Lauterbachiani continuabit privatim: Juxta ejusdem ductum publicè nonnulla juris argumenta explanare perget, & in horâ publicis Lectionibus eadem ad diſceptandum ſubinde proponet. Quod ſi præterea in aliis ejus opera deſiderabitur, non deerit eadem uti volentibus.

BERNHARDUS LUDOVICUS MOLLENBEC, *J.U.L. & Prof. Extraord.* Poſtquam quæ reſtant *controverſias illuſtres* abſolverit, *Ultimarum Voluntatum* materiam publicis Auditoribus explanabit. Privatim quæ in *Inſtitutionum & Pandectarum* Lectionibus reſtant abſolvet, & nova ſive ex *Privato* ſive *Publico jure* ad placitum Auditorum Collegia inſtituet, non denegaturus quoque iis operam, qui, ductu *Schnobelii* juxta ſeriem Pandectarum, publicè diſputando exerceri velint.

## IN FACULTATE MEDICA.

LAURENTIUS STRAUSSIUS, *Med. D. & Pract. Profeſſ. Ordinar.* in *Prælectionibus publicis* de iis *Affectibus p.n. Medii Ventris*, quos quidem *Palæſtra Med. Pract.* complectitur, conſuetâ hactenus methodô tractabit: *Privatim Collegium practicum Examinatorium*, ſi ita *Dn. Philiatris* arriſerit, DEO ſanitatem concedente, habebit.

MICHAEL Heyland / *Philoſ. & Med. D. & Profeſſ. Ordin.* Publicè in Chirurgicis Tunicarum doctrinam Generalem æque ac Specialem proponet. Privatim ad deſiderium Dnn. Philiatrorum vel Anatomica, vel ſi quæ alia ad palatum, fore deprehenderit, tractabit.

LUDOVICUS CHRISTIANUS TACKIUS, *Med. Lic. ejusdemq́; Prof. Ord.* uti cœpit, publicè Diætam præleget, una cum materia Medica, & quæ eâ neceſſitate referantur ad doctrinam de morbis cognoſcendis, præcavendis, curandis, dijudicandis, ex fonte practico declarabit, non omittens Jonſtonis Ideæ Medicinæ practicæ librum, quicquid huc loci ex ſententiis Hippocratis, Galeni & Hermeticorum irradiare poterit, id quàm ſolicitè & ſimul cò diriget; Cæterum per quietem lectionum privatarum offert Dominis Philiatris, quæ deſiderahunt ex arte alia.

## IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

LAURENTIUS STRAUSSIUS, *D. & Phyſic. Profeſſ. Ordinar.* in *Prælectionibus publicis* Doctrinam de *Elementis* exponet; *privatam* vero operam vota Auditorum dirigent, quorum expectationi ut ſatisfaciat, σὺν Θεῷ pro viribus allaborabit.

M. HEINRICUS PHASIANUS, *Hiſtor. Orat. & Poeſ. Profeſſ. Publ. Ordinarius*, Lectionibus publicis proximis, DEO juvante, præſentis ſeculi geſta exponet. Non autem rebus ſolum Imperii immorabitur; ſed potiſſima etiam, quæ extra illud in Regnis Provinciisque, maximè Europæis, notabilia occurrunt, annotabit: ſervato ubique temporis ordine, quod Scriptorum præcipuis in uſu eſt. Privatim, in hiſtoricis æque ac Oratoriis, Auditorum vota reſpiciet; pro virili, omnibus operam ſuam, atque ſtudium, probaturus.

DAVID CLODIUS, *S. Theol. D. & Ling. Oriental. Profeſſ. Ordinarius*, Publicas inſtantis Hyemis horas *Epiſtolæ ad Hebræos prælegendæ* tribuet, *Philologicè* enim & *Theologicè* pertractaturus eſt. Privatim habebit *Collegium Philologicum*, quo omnes quæſtiones ad Linguarum cognitionem &c. &c. cum primis vero ad Codicis Sacri intellectum autenthiam integritatem &c. &c. facientes ſcrutabitur: Grammaticum quoque habebit *Hebræum* vel (ut audio deſiderari à nonnullis) *Syriacum* atque *Chaldæum*, quin & *Rabbinicum*.

M. BALTHASAR MENTZERUS, *Profeſſ. Mathem. Ord.* Inſtitutum ſuperioris ſemeſtris proſecuturus, partem Aſtronomiæ reliquam, ut & Aſteriſmos meridionales, & Eclipſin futuram Lunarem D.V. *publicè* explanabit: *Privatim* verò Compendium ſuum Geographicum explicabit, junctis Topographiis, Chorographiis atque iconiſmis, inprimis *All. Man. Mallet*, pulcherrimis, aliorumve. Neque Geometriæ, Arithmeticæ, Opticæ &c. Cultoribus, gratificari deſiſtet.

JOHANNES DANIEL ARCULARIUS, *Log. & Metaph. Profeſſ. Ordinarius.* Quam primum per negotia publica licuerit, publicis prælectionibus abſolvet examen *Stengelii de bono & malo Syllogiſmo.* Privatim vel exercitia inſtituet diſputatoria, vel methodo conſuetâ, Præcepta Metaphyſica juxta ductum Compendii, qualecunque tandem arriſerit Dnn. Auditoribus, explicando tradet, ſimilique operâ inſerviet Logicam diſcendi cupidis.

JOH. NICOLAUS HERTIUS, *J.U. Licent. & Profeſſ. Politices Ordinarius*, poſtquam argumenta juris ſingularia publicè ad finem perduxerit, quas præterito ſemeſtri ad calamum dictavit politicas, juxta recentiorum principia adornatas, fuſiore explicatione illuſtrabit. Privatim verò ad deſiderium Dn. Studioſorum ſe accommodabit.

BERNHARDUS LUDOVICUS MOLLENBEC, *Moral. Profeſſ. Ordin.* Publicè in explicando *Horneio* progredietur. Privatim uſitatum compendium *Dn. Itteri* denuò tractabit, & variam deſideraturis, diſputandi materiam ſuppeditabit.

GISSÆ, Literis Academicis KAGERIANIS.

# UNIVERSITATIS GISSENÆ
# RECTOR
## TOTUSQUE PROFESSORUM ORDO
## CIVIBUS SUIS SALUTEM
*ET*
## PERENNANTEM à DOMINO JESU FELICITATEM.

MIſerationis & gratiæ divinæ ſingularis argumentum eſt, quod inter arma Leges noſtræ non ſileant, quod in terroribus illis bellicis, in illa malorum Iliade, inter medios terrores & minas diverſique fati exempla in pace & tranquillitate clementer conſervati perennaverimus. Tibi, Domine JESU, *Templa* noſtra Religionis puritatem; *Reſpublica* ſtatum pacatum; *Curia* ſecundos Conſiliorum ſucceſſus; *Academia* docentium & diſcentium ſedulitatem atque progreſſus; *Pædagogium* Artes liberales; & ob hunc beneficiorum cumulum omnia *Suggeſta, Tribunalia, Auditoria, Pulpita, Subſellia*, devotam gratiarum actionem debent, ſanctâque puritate offerunt. *Amici* tui, *electi* tui, *filii* tui ſumus, Domine. Quia *Amici*, contra inimicos tuos juxta atque noſtros, immaniſſimos & crudeliſſimos Turcas, nos protege; quia *electi*, ſub umbra alarum tuarum nos cuſtodi; quia *Filii*, regni hæreditatem filiis præparatam nobis dona. *Eccleſiæ* & *Academiæ* halcyonia dulciſſima largire, quæ ſævis nunc concutiuntur & propemodum multis in locis ſubmerguntur tempeſtatibus. Claſſicum canant undique *Tympaniſtæ*, clament *litui*, non mutæ apud nos interim ſint literæ, *Tubæ* ſonent, non ſileant Leges! Uti milite *Caſtra*, ſic Auditoribus *Academia* & *Collegia* impleantur, uti ob ſtipendia ad *caſtra*, ad defendendam armis Patriam, milites concurrunt, ita ad *Academiam* noſtram ad illuminandum mundum undique advolent Studioſi, Artium & literarum cupidi. Sic rectè atque ordine *rudes* literaturâ, *feri* culturâ, *ignari* diſciplinâ imbuentur, *civesque* habebuntur omne genus *literas* eruditos, *moribus* emendatos, *virtutibus* ornatos. Hunc in finem deſcribimus in proximum hoc æſtivum ſemeſtre Lectionum Academicarum ſeriem, ex Academiæ noſtræ more inſtitutoque veteri exhibemus, hoc eſt, iis qui capeſſendæ uberioris ingenii culturæ gratiâ frequentant hoc noſtrum bonarum Artium & Facultatum emporium, indice quaſique tabellâ ſuſpensâ merces noſtras literarias oſtendimus & commendamus. Vos bonæ mentis Candidati, bonæ frugis alumni, induſtriè laborate & largiſſimam DEI benedictionem certò expectate. Ita enim & noſtra noſtrorumque *Statutorum* juſſa obſervabitis, *officii* veſtri partes omnes implebitis, *Parentum* vota, *Patronorum* benefacta, *veſtra* denique optata repræſentabitis. B. V. Publicatum ſub Sigillo Academiæ majori die Dominicâ Judica An. M. DC. LXXXVI.

## IN FACULTATE THEOLOGICA.

PHIL. LUDOV. HANNEKENIUS, *SS. Theol. Prof. Ord.* Lectionibus *publicis*, DEO gratioſè opitulante, controverſias, quæ hodie inter Græcos Latinosque vigent, ventilabit; In *Privato* Collegio aſſurget deſiderio nonnullorum, de percurrendis methodo quæſtionariâ Locis Gerhardinis, niſi aliis aliter videatur.

KILIANUS RUDRAUFF, *SS. Theol. D. & Profeſſ.* h. t. Fac. ſ. Decanus, in publicis lectionibus diſcrepantiam oſtendet inter Auguſtanam Confeſſ. & Concil. Tridentinum, & quod hic nova, illic autem fides contineatur antiqua Romano Catholica fides antiquiſſima Apoſtolica & una vera. Tum addet & habebit Diſputationes publicas, quæ reſtant paucæ è Sylloge ſua Controverſiarum reviſa & auctiori longè. In privatis reſpiciet vota & deſideria Dnn. Auditorum, quibus tamen non poteſt non commendare libros Symbolicos, ea præſertim quæ traduntur in Symbolis & Conciliis primis Oecumenicis, in protheoria noſtra collectis, & in dicta A.C. ejusque Apologia.

DAVID CHRISTIANI SS. Theol. D. Prof. Ord. p. t. Rector, *Hiſtoriam Syncretiſticam* in prælectionibus publicis abſolvet, *Diſputationes Anti-Calvinianas* publicas continuabit, & *Aſotiva Apoſtatarum* examinabit. Privatim Collegia Lectoria & Diſputatoria pro votis & deſideriis Dnn. Auditorum aperiet.

DAVID CLODIUS, *S. Theol. D. & Profeſſ. Extraordinarius*, publicè poſthac, Deo largiente, vel *Libros noſtrarum Eccleſiarum Symbolicos* præleget, vel *Veteris Teſtamenti librum*, quodcunque magis gratum viſum deprehendet Auditoribus: Privatim verò Collegium *Anti-Pontificium aperiet diſputatorium*, cui ut frequentes adſint, ſedulò invitat Auditores; Neque tamen deerit, ſi aliud quiddam deſideraverint.

JOH. DANIEL ARCULARIUS, Theol. Licent. & Prof. Extraord. quantum horis vacantibus licuerit, vindicabit publicè, Orthodoxiam Auguſt. Conf. variorum petitam telis; vel juxta ductum *Manualis A. C. Hülſemanni*, vel prælucente *B. Balduino in Papatu proprio gladio jugulato*. Privatâ ſimul operâ ſuâ, nullo modo ſuturis Auditoribus deerit.

## IN FACULTATE JURIDICA.

ANTON. HENRICUS MOLLENBECIUS, J.U.D. Cod. Prof. Ordin. & Juridicæ Facultatis Senior, poſtquam VII. iſtos de *Differentiis Juris Civilis & Canonici* Libros Rittershuſianos, publicè interpretando ad finem perduxit, proximè nunc, ſi DEUS volet, in gratiam ſtudioſæ juventutis *jus Feudale* tractabit, eâ methodo & perſpicuitate admirandâ, quam *Liborius Hattſerius*, in ſua hujus juris Analyſi artificioſè concinnavit. Privatim inſtituet Exercitia, quæ Dominis Auditoribus grata atque utilia videbuntur.

FRIDERICUS NITZSCHIUS, Phil. & U.J.D. Summi Haſſiæ Principum Judicii Appellationum Aſſeſſor, & Pand. Prof. Ordinarius, Publicè V. D. materiam Pactorum ejusque potiores textus Juris Civilis accuratâ Analyſi pertractabit; Privatim verò ea Juris Publici & Privati Collegia eſt habiturus, quæ è re pariter ac deſiderio Dnn. Studioſorum eſſe videbuntur.

NICOLAUS THILENIUS, J.U.D. & Prof. Ord. horis publicis feuda interpretabitur: Privatis verò vel Inſtitutionum, vel Practicum, vel alia, quæ deſiderabuntur, Collegia inſtituet.

JOH. NICOL. HERTIUS, *J. U. Licent. & Prof. extraordin.* Prælectiones ad dimidium Compendii Dig. Lauterbachiani Dei gratiâ iterum perductas, vel ad extremum continuabit, vel rurſum à principio ordietur. Hugonis etiam Grotii de jure Belli & Pacis opus, per æſtatem, ſi deſiderabitur, exponet.

BERNH. LUDOVICUS MOLLENBEC, J.U.L. & Prof. Extraord. Publicè in exponendis *Ultimis Voluntatibus* porrò occupabitur. Privatim Collegium *Schützianum* continuabit, & ſimul ac modò, quæ in *Struviano* reſtant, abſolverit, *Inſtitutiones* denuò & *jus Publicum* docebit.

## IN FACULTATE MEDICA.

LAURENTIUS STRAUSSIUS, *Med. D. & Pract. Profeſſor Ordinarius*, in Prælectionibus *Publicis*, de iis *Affectibus p. n.*, quos quidem *Palaſtra Medica Practica* complectitur, conſuetâ hactenus methodò tractabit; *Privatim* verò, Dn. *Philiatrorum* captui, & deſideriis, quoad licuerit, DEO ſanitatem concedente, ſeſe accommodare ſtudebit.

MICHAEL Heiland / Phil. & Med. D. & Prof. Ordin. quæ reſtant Tumorum ſpecies Publicè ad finem perducet. His adnectet Cutis nec non Capillorum vitia, ſi temporis ratio permiſerit. Nec deerit deſiderio eorum, qui manuductionem ad Botanicem exoptant. Privatim continuabit, ſi ita viſum fuerit, quæ hactenus tractavit, ſtudia, aut verò in horum locum pro lubitu ſubſtituet alia.

LUDOVICUS CHRISTIANUS TACKIUS, *Med. Lic. ejusdemq; Prof. Ord.* uti cœpit, publicè Diætam præleget, una cum materia Medica, & quæ ex neceſſitate referantur ad doctrinam de morbis cognoſcendis, præcavendis, curandis, dijudicandis, ex fonte practico declarabit, non omittens Jonſtonis Ideæ Medicinæ practicæ librum, quicquid huc loci ex ſententiis Hippocratis, Galeni & Hermeticorum irradiare poterit, id quàm ſolicitè & ſimul eò diriget; Cæterum per quietem lectionum privatarum offert Dominis Philiatris, quæ deſiderabunt ex arte alia.

## IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

LAURENTIUS STRAUSSIUS, *Med. D. & Phyſic. Profeſſor Ordinarius*, in *Prælectionibus Publicis* Doctrinam de *Miſtione, Generatione, Corruptione* &c. juxta ſeriem in *Iſagoge ſuâ Phyſicâ*, obſervatam, exponet; *Privatim* verò vel inſtituet *Exercitia diſputatoria*; vel dicti *Compendii præcepta* explanabit, prout quidem *Naturalis ſcientiæ Cultoribus* arridere magis animadverterit.

M. HEINRICUS PHASIANUS, *Hiſtoriarum, Orat. & Poëſ. Prof. Publ. Ordin.* Lectionibus æſtivis publicis, expoſitionem rerum ſeculi præſentis continuabit. Et, ſi Auditoribus viſum fuerit, labores dividet, in gratiam collegii hiſtorici ſuperioris privati, in quartum ferè ſeculum deducti, non minùs continuandi. In Oratoriis commodabit etiam ſedulò operam, iis, qui vel contexendis epiſtolis, vel orationibus conſcribendis vacabunt. Inprimis autem in eo erit, ut uſum Rhetorices Ariſtoteleæ, in tractandis thematibus quibuscunque, commonſtret.

DAVID CLODIUS, *Ling. Orient. Prof. Ordinarius*, æſtate futurâ, Deo benevolè annuente, publicè an prælegere quæpiam poſſit in Philologicis dubitat: Privatim tamen nulli deerit, quodcunque etiam optaverit.

M. BALTHASAR MENTZERUS, Prof. Mathem. Ordin. *Publicas horas* lectionibus Geographicis impenſurus, ſelectiores quæſtiones maximè controverſas enodabit, & in Novitiorum gratiam Compendium ſuum *Geographicum* explicabit: *Privatim Geodæſiam* docebit, & in praxi Auditores ſuos exercebit, ad Laniſcipam, in montibus, ſylvis, pratis &c. *Collegium* quoque aperiet *Curioſum*, utile ac perjucundum, atque ex Arithmetica, Stereometria, Optica, Gnomonica, Muſica, Pneumatica, Hydraulica, Architectura &c. varias quæſtiones reſolvendas proponet, cum Speciminibus, ut ſunt Ciſtula Arithmetica, Baculi Neperi, Camera obſcura, varia Speculorum atque Vitrorum genera, Macroſcopia, Index Stellarum, Gnomon Univerſalis, pro conſtruendis omnis generis Sciatericis, & quæ ſunt hujusmodi. Præterea, Geographicum, Arithmeticum, Aſtronomicum, vel alia, quæ Provectiores deſiderabunt, Collegia inſtituet.

JOH. DANIEL ARCULARIUS, Log. & Metaph. Prof. Ordin. Publicis lectionibus proponet è *Stengelio* doctrinam *Syllogiſmorum Inſolubilium*. E Pneumaticis, quæ reſtant in *Voetio*, ſimul enodabit, additâ *Angelographiâ Schuleri*. Privatim, vel uſitata explicabit compendia, vel ſi viſum fuerit nonnullis, *Metaphyſicam* examinabit *Maccovii*.

JOH. NICOL. HERTIUS, *J. U. Licent. & Prof. Polit. Ordinar.* In Claſem Compendio Politico publicè perget: neque deerit, ſi qui horam unam, publicis lectionibus deſtinatam, ſuper argumentis politicis in utramque partem diſſerendo velint per ſingulas hebdomadas ſemel occupare. Privatim quoque deſideraturis, prout ex uſu videbitur, parata ejus erit opera.

BERNH. LUDOV. MOLLENBEC, *Moral. Prof. Ordin.* Tertium *Hornei de Moribus* librum publicâ commentatione proſequetur, & ſimul *Dn. Iteri* Synopſin, vel alium Autorem publicè diſputando eventilabit. Privatim vota Auditorum reſpiciet, quibus ut ſatisfaciat omni modo allaborabit.

GISSÆ Literis Academicis KARGERIANIS.

# UNIVERSITATIS GIESSENÆ
# RECTOR,
## TOTUSQUE PROFESSORUM ORDO
## CIVIBUS SUIS SALUTEM ET PERENNANTEM
### A DOMINO JESU FELICITATEM.

Apophthegma Hebræorum inſigne eſt: מַרְבֶּה יְשִׁיבָה מַרְבֶּה חָכְמָה Qui multiplicat Scholam, multiplicat ſcientiam ישיבה Hebræi vocant *Academiam*, *Sapientiæ Arcem*, *Veritatis templum*, *Scientiarum theſaurum*, *mirabilium animi voluptatum Paradiſum*, locum ſcilicet publicum, ubi Studioſi ad diſcendum confluunt. Senſus itaque pius eſt, Sapientiam non diſci in Tabernis vinariis, ſed in Scholis, ubi bonæ literæ & diſciplinæ traduntur. Haud minus ſalutaris & iſta eſt Gnome: *Eſto pulverizans te in pulvere pedum Sapientum, atq; bibe cum ſiti verba eorum.* Fac tibi Præceptorem, & acquire tibi ſodalem, elige Præceptorem, ſive Magiſtrum, quem imiteris & cum quo tua conferas ſtudia: utiliora ſiquidem ſunt Studia communia, quàm privata, cum alter alteri materiam cogitandi ſuppeditet, judicium acuat, ſtimulos diſcendi miniſtret. Nemo enim unus omnia unquam videt, vel tantum, quantum duo vel plures. Et ſemper quodammodo inhæret tenaciùs, quod vel ab aliis audimus, vel cum aliis diſcimus. Suffragatur *Abarbenel*, dicens: Non eſt ſimilis is, qui diſcit Legem à ſeipſo, ei, qui diſcit eam ex ore aliorum. *Qui diſcit ab aliis*, ejus doctrina manet conſtans, occultum ei revelatur, & ipſe à dubiis eximitur. *Qui diſcit à ſeipſo*, ejus doctrina non eſt ſolida, animus ejus labaſcit vel vacillat, & plurima dubia ei oriuntur. Conſideretis hæc, *Nobiliſſimi Dnn. Studioſi*, qui Studiorum cauſſâ ad Nos amandati eſtis; non opus eſt, exilia veriùs, quàm peregrinationes ad *Ægyptios*, ad *Chaldæos*, ad *Indorum Brachmanos instituere* & ſuſcipere. *Academiam* habetis in ipſo Patriæ veſtræ ſinu, optatam ἀφορμὴν diſcendi non negligite, non deerunt Vobis Doctores & Ductores, Profeſſores omnium Facultatum fideliſſimi. Niſi ſequamini & adſequamini, præter ipſos Vos, quem culpabitis? Feriæ noſtræ finem habent, cum ipſo Caniculæ fine. Videte, quid ætatis ſitis, in hoc vere niſi Virtutis Doctrinæque feceritis ſementem, fruſtra cum æſtas erit, expectabitis fructum. Indoles veſtra ingeniumque ad alta Vos vocant. Atque ſic non erit, quod conqueramur cum Bellarmino Conc. XVI. in Domin. Septuageſ. pag. 131. de ſui temporis Academicis & effrænis juventutis illecebris: *Quis ignorat, multos eſſe, qui Lovanium* (Gieſſam) *veniunt, ut Doctores fiant in Iure, & fiunt Doctores in gladio & in Choreis? Quàm multi ſunt, qui cum ad parentes ſuos redeunt, ſi quæratur ab eis, quid Lovanii didiciſtis? reſponſuri ſint, ſi verum dicere velint; didicimus vagari totas noctes per plateas*; didicimus *diſtricto gladio bellum gerere cum lapidibus*; didicimus *multa & nova genera Chorearum*; didicimus *pecunias noſtras, quæ unum menſem duratura erant, unâ horâ conſumere.* Præclara profectò ſapientia! Quantum ſit hoc malum, & quantorum malorum cauſa, quis non videt? Sed producimus Lectionum publicarum *κατάλογον*, Voto, non querelâ claudendam: Floreat Academia, concedat DEUS Opt. Max. Halcyonia perpetua, adſit Docentibus & Diſcentibus! Ita fiat, ô Vos noſtri! nec erit, quod de publicâ privatâque ſalute ambigamus. P.P. Gieſſæ die 5. Septembr. Anno 1686. ſub Sigillo Academiæ Majori.

## IN FACULTATE THEOLOGICA.

PHILIPPUS LUDOVICUS HANNEKENIUS, *SS. Theol. D. & Prof.* Lectionibus *publicis*, DEO gratioſè opitulante, abſolvet ea, quæ reſtant eventilanda in dogmatibus hodiernorum Græcorum; additis diſputationibus publicis, pro lubitu Auditorum. *Privatim* continuabit diſputatorium Collegium in Syſtema inclyti noſtri & B. Theologi, viri de varia literatura elegantiori & tota Eccleſ. puriori meritiſſimi, *Dn. D. Schertzeri*, aperietque aliud Theticum in Acroamaticam Theol. B. Königii.

KILIANUS RUDRAUFF, *Theol. D. & Prof. & h.t. Decanus*, in publicis Lectionibus tractabit potiores controverſias Papiſticas, ſiſtendo doctrinæ noſtræ fundamenta ex Prophetis & Apoſtolis. Et poſtquam per DEI gratiam Syllogen ſuam extenſiorem in publicis Diſpp. abſolvit, nunc ſeliget nobiliores ad diſputandum materias, præprimis a. ex hiſtoria eccleſiaſtica Patrumque ſcriptis commonſtrare allaborabit, religionem & fidem noſtram non eſſe novam, ſed antiquam illam, quæ verè Catholica eſt, adeoque non majores noſtros, ſed Papæos deviaſſe & defeciſſe à vera Catholica eccleſia. Privatim reſpiciet Dnn. Auditorum vota, offeret a. præter diſputatorium, explicatorio-examinatorium, pro iis, quibus fundamenta intimiora majori curæ ſunt.

DAVID CHRISTIANI, SS. Theol. D. Prof. Ord. p.t. RECTOR, *Hiſtoriam Syncretiſticam* in prælectionibus publicis abſolvet, *Diſputationes Anti-Calvinianas* publicas continuabit, & *Motiva Apoſtatarum* examinabit. Privatim Collegia Lectoria & Diſputatoria pro votis & deſideriis Dnn. Auditorum aperiet.

DAVID CLODIUS, *S. Theol. D. & Profeſſ. Extraordinarius*, publicè poſthac, Deo largiente, vel *Libros noſtrarum Eccleſiarum Symbolicos* prælegët, vel *Veteris Teſtamenti librum*, quodcunque magis gratum viſum deprehendet Auditoribus: Privatim verò Collegium *Anti-Pontificium aperiet diſputatorium*, cui ut frequentes adſint, ſedulò invitat Auditores; Neque tamen deerit, ſi aliud quiddam deſideraverint.

## IN FACULTATE JURIDICA.

ANTON. HENRICUS MOLLENBECIUS, *J.U.D. Cod. Prof. Ordin.* & Juridicæ Facultatis Senior, eâ qua cœpit perſpicuâ methodo Hattyſerianâ prælectiones *Feudales* publicas continuabit, & elegantiores inde obvenientes quæſtiones, præprimis in foro uſum quæ obtinent, rationibus tam dubitandi quàm decidendi ſuccinctè reſolvet. Privatim aperiet Collegia quæ cupidis LL. Cultoribus fuerint accepta, & ſi qui ad *Judicialem* tum in Civilibus, tum in Criminalibus uſitatum *proceſſum* aliquam manuductionem deſideraverint, illis operam ſuam non denegabit.

FRIDERICUS NITZSCHIUS, *Phil. & U. J. D.* Summi Haſſiæ Principum Judicii Appellationum Aſſeſſor, & Pand. Prof. Ordinarius, Publicè V.D. materiam Pactorum ejusque potiores textus Juris Civilis accuratâ Analyſi pertractabit: Privatim verò ea Juris Publici & Privati Collegia eſt habiturus, quæ è re pariter ac deſiderio Dnn. Studioſorum eſſe videbuntur.

NICOLAUS THILENIUS, *J.U.D. & Prof. Ord.* pro cathedra publica ſelectas Juris controverſias explicando ac diſputando pertractabit: Horis verò privatis Inſtitutiones & Feudalia jura prælegët, aliaque inſtituet pro lubitu Auditorum Collegia.

JOH. NICOLAUS HERTIUS, *J. U. Licent. & ejusdem Prof. Extraordinarius*, in juris ſtudio operam deſiderari ſuam non patietur, ſive quis ad Inſtitut. ſive ad Digeſta aut H. Grotii de jure Belli ac Pacis opus eam requiret. Publicis quoque lectionibus deſtinatam horam interdum exercitio diſputatorio interpolabit.

BERNHARDUS LUDOVICUS MOLLENBEC, *U.J. L. & P. Extraord.* Lectiones publicas in prolixâ ultimarum voluntatum materiâ continuabit, & ſi præter Collegia, quibus privatim occupatur, alia fuerint deſiderata, officio ſuo, gratia divinâ aſſiſtente, non deerit.

## IN FACULTATE MEDICA.

LAURENTIUS STRAUSS, *Medicinæ D. & Practicæ Profeſſor Ordinarius* poſtquam, in Lectionibus *Publicis*, eos pertractaverit *Affectus*, qui in *Part. 3. Palæſtræ Medicæ Practicæ* explicandi reſtant, *Doctrinam de Febribus* aggredietur, & conſuetâ hactenus Methodô explanabit: *Privatim* v. Dnn. *Philiatrorum* deſideriis tàm *diſputando*, quàm *examinando*, aut aliô proficiendi modo ut ſeſe accommodet, omnem, DEO ſanitatem clementer concedente, operam navabit.

MICHAEL Heyland/ *Phil. & Med. D. & Prof. Ord.* ad finem perductis Tumorum ſpeciebus Cutis atque Capillorum vitia, eorumque curam publicè docebit, quibus ſuperaddet, ſi tempus id permiſerit, atque Auditorum ardens diſcendi ſtudium deſideraverit, Generalem ulcerum doctrinam. Privatam præterea offert operam ſollicitantibus.

LUDOVICUS CHRISTIANUS TACKIUS, *Med. Lic. ejusdemq; Prof. Ord.* uti cœpit, publicè Diætam prælegët, una cum materia Medica, & quæ eâ neceſſitate referantur ad doctrinam de morbis cognoſcendis, præcavendis, curandis, dijudicandis, ex fonte practico declarabit, non omittens Jonſtonis Ideæ Medicinæ practicæ librum, quicquid huc loci ex ſententiis Hippocratis, Galeni & Hermeticorum irradiare poterit, id quàm ſolicitè & ſimul eò diriget; Cæterum per quietem lectionum privatarum offert Dominis Philiatris, quæ deſiderabunt ex arte alia.

## IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

LAURENTIUS STRAUSS, *Medic. D. & Phyſic. Profeſſor Ordinarius*, in Prælectionibus *Publicis* de *Corpore Imperfectè Mixto*, ejusque *ſpeciebus*, juxtà ſeriem in *Iſagoge* ſuâ *Phyſica* obſervatam aget: *Privatim* vero dicti *Compendii Præcepta & Axiomata* vel *Explicando*, vel *Diſputando*, prout quidem Naturalis Scientiæ Cultoribus magis arridere intelliget, DEO volente, pertractabit.

M. HEINRICUS PHASIANUS, *Hiſtor. Orat. & Poeſ. Prof. Publ. Ordin.* Lectionibus Hiſtoricis publicis, DEO dante, ſeculi præſentis reſidua abſolvet. Privatim, in Hiſtoricis, & Oratoriis, deſideria Auditorum inprimis reſpiciet; ſibi vero relictus, ad uſum Ariſtoteleæ doctrinæ porro commonſtrandum, Collegia Oratoria ſuperiora, ut & Hiſtorica, continuabit.

DAVID CLODIUS, *Ling. Orient. Prof. Ordinarius*, hyeme futurâ, DEO benevolè annuente, publicè an prælegere quæpiam poſſit in Philologicis dubitat: Privatim tamen nulli deerit, quodcunque etiam optaverit.

M. BALTHASAR MENTZERUS, *Prof. Mathem. Ordin.* Publicas hyemis horas prælegendis Aſtronomiæ capitibus ultimis tribuet, & ſimul Arithmeticæ divinatoriæ præcepta in calamum dictabit: Privatim compendium ſuum Geographicum methodo cœptâ exponet, ut & uſum Globi Aſtronomici, aliaque, quæ diſcendi cupidis arriſerint.

JOH. NICOLAUS HERTIUS, *Politicæ Profeſſ. Ordinarius*, prudentiæ civilis diſciplinam non ſolùm explicatione, ſed & publicis exercitationibus illuſtrabit. Privatim vel Claſenii Compendium Politicum, vel alium auctorem, prout ex uſu videbitur, exponet.

BERNHARDUS LUDOVICUS MOLLENBEC, *Prof. Ethices Ord.* publicè quæ in *Horneio* explicanda reſtant abſolvere ſataget, & ſimul *Dn. Feltii* ſynopſin diſputando, bene juvante DEO, eventilabit. Privatas operas pro nutu Dn. Auditorum demùm attemperabit, oblaturus inprimis Collegium vel ad *Dn. D. Rudrauffii* Inſtitutiones Morales, vel ad *Jacobi Thomaſii* Philoſophiam Practicam tabellis comprehenſam.

METAPHYSICUS deſideratur; conſtitutus verò officio ſuo non deerit.

GISSÆ, Literis Academicis KARGERIANIS

# ACADEMIÆ GISSENÆ
# RECTOR,
## TOTUSQUE PROFESSORUM ORDO
*CIVIBUS SUIS SALUTEM!*

REram divinarum humanarumque Scientiam non Nobiſcum naſci ſed temporis tractu demum comparari notius eſt, quam ut prolixiori id indigeat deductione. Aſt verò modus, quo illa acquiritur, non eſt apud omnes æque in confeſſo. Equidem Platone Autore noſtrum diſcere nihil aliud eſt, quam reminiſci eorum, de quibus olim intellectui conſtabat. Noſtras enim animas, à DEO ante creatas, omnium rerum notiones in ſe conſignatas habuiſſe, in corpo[...] [...]o hæc caduca & moribunda deſcendentes horum contagione in oblivionem delabi, revocari tamen in memoriam diſcendo, atque ita omnem noſtram Scientiam eſſe recordationem quandam exiſtimavit Idem. Huic Præceptoris ſententiæ non citra rationem ſeſe oppoſuit diſcipulus primus Philoſophiæ Peripateticæ Architectus Ariſtoteles, qui Intellectum noſtrum ſcenam hancce mundanam ingredi aſſeruit, omni plane notitia denudatum, Eundem appoſite admodum comparans Tabulæ raſæ cui nihil inſcriptum, omnia tamen inſcribi poſſunt. Funguntur autem Senſus ſtyli munere in hoc ipſo inſcriptionis negocio. Quanquam enim facile concedamus non omnia, quæ ſcimus, per ſe cadere ſub ſenſus, ſunt tamen plures præter hunc modi, quibus ſcibilia interventu ſenſuum Intellectui offeruntur, quos norunt ſolidioris Philoſophiæ Interpretes, adeo ut non niſi obſtetricantibus ſenſibus ullus ingenii partus præſtolandus. Fac enim puer per ſermocinationem animi ſui ſenſa exponere valens, primo illo Recentiorum philoſophandi principio : Ego cogito, ergo ſum, probe inſtructus, ab omnibus reliquis præjudiciis liber, quique primas tantum Arithmeticæ regulas in numeris aliquot ſimul colligendis didicit : Fac, inquam, talis puer privetur vel omnibus ſenſibus, vel viſu duntaxat & auditu, atque ſic tutus præſtetur à ſeductione Deceptorum ſenſuum, quis credet evaſurum illum in Virum doctum? Sunt duæ viæ, per quas eundum ad Eruditionis arcem, Propria Inventio & Diſciplina; Prior illa, præterquam quod ſalebroſa eſt & anceps, talisque, quam, Ipſo novæ methodi Exſtructore judice, valde paucis ingredi expedit, nec cuivis tentanda, neutiquam ducibus ſenſibus neglectis iniri, aut in ea greſſus promoveri poteſt. Diſciplinam vero, cum vel à viva præceptoris voce, vel à lectis Autorum ſcriptis illa promanet, ſenſuum adminiculo carere non poſſe ultro conſtat. Sed hæc fuſius perſequi jam non licet. Quod Noſtri eſt officii nunc potius agamus. Eſt illud: Noſtræ fidei concreditis viva monſtrare voce viam quâ eundum ad omnigenæ Eruditionis faſtigium, cui fini præſentem ſuſpendimus Tabulam, ut cuique Veſtrum, O NOSTRI, conſtet de futuro Manuductore in ſtudiorum ſuorum ſtadio. Ex alto noſtris DEUS annuat auſis! P.P. V. IDUS VIIBR. Anno æræ Vulgaris 1688. Sub Sigillo Academiæ majore.

## IN FACULTATE THEOLOGICA.

PHILIPPUS LUDOVICUS HANNEKENIUS, *SS. Theol. D. & Profeſſ.* in Lectionibus *publicis* continuabit exercitium in Locos B. Gerhardi, & in obſervationibus ſyſtematis Mareſiani porrò ex recepta methodo aget. *Privatim* collegium homeleticum aperiet, & ſi quod arriſerit diſputatorium Dominis Auditoribus contra Socinianos aut Weigelianos, DEUS auctor eſto!

KILIANUS RUDRAUFF, *SS. Theol. D. & Prof.* largiente divina gratia, in publicis & privatis, junctim proponendis, poſtquam aliquot lectiones præmiſerit de eccleſia Waldenſium horumque dogmatibus, quæ Lutherus *T. VI. Jenenſ. Germ.* ita judicavit, ut illi in omnibus fidei articulis etiam in Sacr. Sac. Cœnæ, de vera & reali præſentia approbante *D. Haberkornio* noſtro *Diſp. Anti-Wallenb. p. 98.* rectè ſentiant, indeque ab hæreſi eos omninò abſolvit c. T. VI. p. 113. commendabit & explanabit ſyſtema *Schertzeri*, additis & collatis ſuis inſtructionibus Theologicis, hactenus dictatis. In publicis perget, ut cœpit, eas, citatas inſtructiones, diſputando communicare.

ABRAHAMUS HINCKELMANNUS, *S. Theol. D.* Sereniſſimi Principis ac Nutricii noſtri Concionator aulicus Primarius & Superintendens, munus Profeſſionis Theol. honorariæ, nuper à Celſiſſimo Principe clementiſſime oblatum, quamprimum ſanitatem DEUS ipſi reddiderit, aggredietur. Initium laborum ſumet ab interpretatione Moſis in qua ita verſabitur, ut præmiſſa integri primum libri, & ſingulorum capitum analyſi Logica, poſtea in verborum ac phraſium ſenſum & vim accuratè inquirat, quæ ab Atheis, Socinn. & aliis hæreticis veritati divinæ adverſa ad textus propoſitos afferuntur, refellat, & tandem Locos, uti vocant communes, ſive poriſmata practica eliciat.

Si qui ſint qui ipſius præſidio in Diſputationibus publicis uti velint, facilem & paratum invenient.

## IN FACULTATE JURIDICA.

ANTON-HENRICUS MOLLENBECIUS, *J. U. D. Cod. Prof. Ordinar. & Jurid. Facult. Senior*, publicas prælectiones in Liborii Hattyſeri Analyſin *Juris Feudalis*, brevi ad finem perducet; quibus expeditis, D. V. Titulum *de Regulis Juris, Lib. VI. Decretalium*, uſum in utroque & Civili & Canonico jure exhibentem inſignem, publicè Interpretabitur, & ſingulas Regulas exemplis manifeſtis declarabit. Privatim Digeſtorum Collegium Lectorio-Examinatorium, ad ſuas* Diviſionum Juridicarum Centurias continuabit, & ſi quæ alia LL. Cultores, Domini Studioſi, deſideraverint Exercitia, illorum deſiderio pro virili ſatisfaciet.

FRIDERICUS NITZSCHIUS, *Phil. & J. U. D. Conſiliarius Haſſiacus & Pand. Prof. Publ. Publicè* D. V. Illuſtriores Juris Publici Controverſias proponet; *Privatim* vero non ita pridem inceptum ad *Dn. Struvii* Syntagma Juris Civilis Lectorio-Examinatorium Collegium, cui etiam Diſputationes adjunget, quemadmodum & Collegium Juris Publici ad *Dn. Rhetii* Inſtitutiones continuabit & Rhetianum abſolvet.

NICOLAUS THILEN, *J. U. D. & Prof. Ord.* publicè in ſelectioribus juris quæſtionibus declarandis, quâ cepit, methodo progredietur. Privatim verò Digeſtorum prælectiones continuabit, aliaque pro lubitu Auditorum Collegia & diſputandi exercitia inſtituet.

JOH. NICOLAUS HERTIUS, *J. U. D. & Prof. extraord. Publice* D. V. materiam contractuum exponet, & theſes, ut hactenus conſuevit, ad diſputandum loco publicæ lectionis dabit. *Privatim* perductô iterum ad exitum per Dei gratiam compendiô Lauterbachianô id denuò auſpicabitur, ſi modo idoneus auditorum numerus ſe offeret; de cætero in aliis quà publici quà privati juris argumentis operam ſuam pro virili pollicetur.

BERNHARDUS LUDOVICUS MOLLENBECIUS, *J. U. D. & Prof. Extraord.* Publicè in exponendo *Proceſſu Brunnemannii* progredietur, & cœptum diſputandi ſtudium continuabit. Privatim præter *Inſtitutiones Juſtinianeas*, aut *Jus Publicum*, aut *Feudale*, ex deſiderio Auditorum, cum DEO, tractabit.

## IN FACULTATE MEDICA.

MICHAEL HEYLAND, *Phil. & Med. D. & Prof. Ordinarius*, h. t. RECTOR, quando publica negotia otium conceſſerint, Purgationis uſum & abuſum declarabit ex Cathedra. Privatim ea quæ reſtant in Inſtitutionibus hactenus ſueta methodo tradet.

JUSTUS FRIDERICUS DILLENIUS, *Med. Lic. & Profeſſor Ord.* HISTORIAM PARTIUM H. C. ceu fidem dedit, *publicè* poſt exactas Autumnales Ferias, σὺν Θεῷ prælegere inſtituet, annexurus etiam ſubindè, pro ratione temporis, *uſum & officia ſingularum partium*, ex Neotericorum ſaniorum mente ac ſententia: *Privatim* verò in SECTIONIB. ANIMALIUM diebus feriatis, cum Dnn. Philiatris exercere ſeſe, adeoque Theoriam publicam per praxin atque αὐτοψίαν privatam comprobare ſataget.

LUDOVICUS CHRISTIANUS TACKIUS, *Med. Licent. eyusdemq; Prof. Ord.* uti cœpit, publicè Diætam præleget, una cum materia Medica, & quæ eâ neceſſitate referantur ad doctrinam de morbis cognoſcendis, præcavendis, curandis, dijudicandis, ex fonte practico declarabit, non omittens Jonſtonis Ideæ Medicinæ practicæ librum, quicquid huc loci ex ſententiis Hippocratis, Galeni & Hermeticorum irradiare poterit, id quàm ſolicitè & ſimul eò diripet; Cæterum per quietem lectionum privatarum offert Dnn. Philiatris, quæ deſiderabunt ex arte alia.

## IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

M. HEINRICUS PHASIANUS, *Hiſtor. Orator. & Poëſ. Prof. Publ. Ordin.* in Hiſtoricis, publicè res ſeculi decimi tertii, & ſequentium proſequetur; traditurus Hiſtoriam Impp. Pontificum, Eruditorum, & eventuum, hinc inde occurrentium. Privatim, eandem hiſtoriam, examinando, enucleabit; &, quibus, in Oratoriis, ſe exercere, placuerit, iis argumenta ſeculum, quod tractatur, ſuppeditabit. Si vero ſeorſim, vel in Florum, vel in Paterculum, vel in Curtium, aut alium aliquem hiſtoricum particularem, deſiderata prælectio fuerit; in his, & aliis, Dnn. Studioſorum votis reſpondere, adlaborabit.

M. BALTHASAR MENTZERUS, *Prof. Mathem. Ordin.* Expoſitis duobus ultimis IIX. & IX. Geometriæ, *Ignat. Gaſt. Pardiæ*, Libris, Aſtronomiam publicè explicabit, Celeberrimi, Academiæ Salanæ Profeſſoris, cujus titulus eſt: Europäiſcher Wappen-Himmel/ über die abergläubiſchen Heyden-Bilder gezogen/ Begreiffende in ſich Civile Stern-Bilder ꝛc. Privatim in Geometricis, Geographicis, Opticis, aliisque Matheſeos Capitibus futuris Auditoribus præire non gravabitur.

JOH. NICOLAUS HERTIUS, *J. U. D. & Prof. Politic. Ordinar.* per duas horas ſingulis ſeptimanis *publicè* Compendium Claſenii tractabit; *Privatim* verò, prout ex uſu erit & deſiderabitur, labores ſuos accommodabit; neque deerit, ſi qui lectionis publicæ loco in diſputando ſe vellent exercere.

BERNHARDUS LUDOVICUS MOLLENBECIUS, *D. & Moralis Phil. Prof. Ord.* Doctrinam *Virtutum Moralium* ductu Dn. Itteri publicè proponet, & ſi qui diſputando exerceri velint, iis argumenta libenter ſuppeditabit. Privatorum quoque Auditorum vota porrò reſpiciet, quibus ut ſatisfiat, pro poſſe allaborabit.

M. PHILIPPUS CASIMIRUS SCHLOSSERUS, *Log. & Metaph. Prof. Ordin.* quod ſuperiori ſemeſtri, ſuper axiomatibus Logicis Diſputatorium inſtituit exercitium, (ſiquidem Reſpondentium copia dabitur) publicè continuabit. Additis inſimul ex Metaphyſicis iis, quæ nundinalibus feriis præoccupato abſolvere non licuit. Privatim verò uſitata explicabit compendia Logica pariter atque Metaphyſica, pro deſideriis Audientium. Spondens inſuper promptam quoque operam iis, quibus publica Diſputationum ſpecimina edere arriſerit.

MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI, *Med. D. & Hiſt. Natur. Prof. Ordin.* in Cathedra Publicâ *Partem Phyſices Specialem* eâ, quâ Generalem hactenus expedivit, methodô abſolvet. Collegia privata diriget ad normam & methodum *Syſtematis Erneſtino-Gothani* vel aliis è Recentioribus, utcunque è re Dnn. Auditorum viſum fuerit. Non minus crebras inſtituet *Diſputationes* tam publicas quàm privatas, dummodò frequens Reſpondentium copia ſe tribuerit, quos ſoleniſſimè invitatos volo.

GISSÆ, *Imprimebat* Chriſtophorus Hermannus Kargerus, *Acad. Typogr.*

# ACADEMIÆ GISSENÆ
# RECTOR,
# JUSTUS FRIDERICUS DILLENIUS,
## MED. DOCT. ET PROFESS. ORDIN.
*CUM*
## UNIVERSO PROFESSORUM ORDINE
*OMNIBUS OMNIUM FACULTATUM STUDIOSIS*
## Bene agere !

HIppocrates, ille omnis Medicinæ parens ac divinâ Vir ſcientiâ (*Cornelij Celſi* & *A. Gellij* elogio) *Democritum* Abderitarum Philoſophum poſtquam interrogâſſet, quid, & cur omnia, tum bona tum mala promiſcuè rideret? Id reſponſi à ſapientiſſimo Viro ſe tuliſſe refert: (Epiſtolâ ad *Damagetum* illâ uti ſatis prolixâ, ſic eruditione ac ſapientiâ multâ refertâ, ſi modò ſint *Hippocratis* genuinæ, quæ vulgò ipſi adſcribuntur epiſtolæ:) Se quidem unum hominem ridere, dementiâ plenum, rectis autem actionibus vacuum; „ in omnibus conſiliis pueriliter ac ſtultè ſe gerentem, & nullius utilitatis gratiâ labores nunquam abſolvendos tolerantem; fines terræ ac „ infinitos receſſus ex immodicis cupiditatibus penetrantem; argentum & aurum quærentem, & nunquam ab his ac quirendis interquieſcen„ tem, ſed ſemper circa plura adipiſcenda tumultuantem, quò ipſe inferior non ſit, & neque pudeſiat, ſi non felix appelletur. Quibus verbis humanarum actionum atque cupiditatum vanitatem uti ridere; Sic avaritiam inprimis & inſatiabile habendi ſtudium ambitionemque reprehendere voluit *Sapientiſſimus Abderitarum Philoſophus*. Vanitas hæc vanitatum, & omnia vanitas, ait *Regum ille omnium ſapientiſſimus Salomon.* (Eccleſiaſt. I. 2.) Hinc ipſe Salvator noſter (Matth. VI. 19. 20. Luc. XII. 33.) ejusmodi theſauros colligendi nobis auctor eſt, in quos nec ærugini, nec tineis, nec furibus aut prædonibus quicquam licet; Imò qui (L. Sapient. VII. 14.) nos Dei amicos & hominibus acceptos reddunt. Hujusmodi v. theſaurorum no„ mine veniunt etiam meritò, ſecundùm veram pietatem & infucatum Dei timorem, *Artes liberales ac doctrinarum ſtudia*, quæ, auctore *Tullio*, adoleſcentiam alunt, „ ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium ac ſolatium præbent; delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſti„ cantur: Quæ (*Senecâ* teſte) claros & nobiles nos efficiunt; Et (judice *Plinio*) unicum doloris levamentum ſunt; Imò ſine quibus (*Eraſmo* dicente) nec homines ſumus. Agitè igitur ô JUVENES GENEROSI & ACADEMIÆ noſtræ CIVES lectiſſimi! Parate & vobis ejusmodi theſauros, in quos Caſibus fortuitis, & furibus, ac decoctoribus nihil juris eſt; Theſauros, inquam, ſapientiæ, prudentiæ, pietatis & eruditionis omnigenæ: Ad quos ritè inveniendos, eruendos en vobis filum iſtud Ariadnæum! *Schema*, inquam, hocce tum *Lectionum publicarum*, tum *privatorum Collegiorum*, per inſtans ſemeſtre vern-æſtivo-autumnale ab omnibus *omnium Facultatum Profeſſoribus*, bono cum Deo habendorum. Bene valete! atque HOC vobis AGENDUM eſſe memento! P. P. Gieſſæ, ſub Sigillo Academiæ Majori. Pridie Dominic. Palmarum, ANNO æræ CHRIST. M. DC. XCII.

### IN FACULTATE THEOLOGICA.

PHILIPPUS LUDOVICUS HANNEKENIUS, *SS. Theol. D. & Prof.* In publicis Lectionibus, opitulante Spiritus S. gratiâ, continuabit quæ reſtant expediunda in *Form. Concord. Chriſt.* Privatim Collegia aperiet, quæ commoda ſibi exiſtimaturi ſunt Dni Auditores.

JOHANNES HENRICUS MAJUS, *SS. Theol. D. & Prof. Ord.* Cœptam nuper de *Sacrificiis* Philologicè pariter ac Theologicè explicandi rationem è *Levitico*, & illuſtrandi ex præſtantiſſimis antiquiſſimisque Hebræorum æquè ac Chriſtianorum Commentariis, *publice*, Deo benè adjuvante, continuabit; & nobile hoc argumentum, unà cum cæteris, quæ in dicto libro reſtant, ad finem perducere ſtudebit: Idem tractatus *privatim* in *Harmonia* IV. Evangeliſtarum, cujus duæ Partes jam ſunt abſolutæ, & *Summa Theolog.* B. D. Rudrauſii explicanda. Si quid præterea deſiderent Studioſi, promtum paratumque ſe illis exhibebit.

HEINRICUS PHASIANUS, *SS. Theol. D. Ejusdemque Prof. Extraord.* In expoſitione A. C. publice, Deo bene juvante, perget. Privatim Dieterichianum Collegium, Explicatorio-Examinatorium, continuabit; unamque etiam per hebdomada horam diſputationibus impendet: vel aliis, quæ grata Dnn. Auditoribus, in ſtudio ſacro, cognoverit, pro viribus, ſe accommodabit.

### IN FACULTATE JURIDICA.

R. MALCOMESIUS, *U. J. D. Pro-Cancellar. & Conſil. Haſſ. intim.* DEO ſanitatem clementer largiente, quibusvis Academiæ utilitatibus, quantum per alia negotia licebit, prompto ſtudio invigilabit, eoque modo cumprimis circa Reſponſa expedienda ſimul in gratiam Conſulentium, operam ſuam indefeſſâ manu commodabit.

ANTON-HENRICUS MOLLENBECIUS, *J. U. D. Cod. Prof. Ordinar. & Jurid. Facult. Senior*, paucis iſtis quæ in Tit. de R. J. Lib. VI. Decretalium adhuc reſtant, expeditis; Proximè in publicis prælectionibus, Divinâ aſſiſtente Gratiâ, Inſignem *de Judiciorum Proceſſibus* materiam, ad quam omnes Noſtri juris partes tanquam ad ſcopum collimant & referuntur, Ordine decenti ſuccinctaque methodo, delineabit. Privatim quoque Cupidis LL. Cultoribus fideli manuductione, inquantum Corporis Vires permiſerint, prodeſſe haud recuſabit.

FRIDERICUS NITZSCHIUS, *Ph. & U. J. D. Conſiliar. Haſſ. & Pand. P. P.* Quæſtiones Criminales ſelectiores V. D. *publicè* proponere perget. *Privatim* verò abſoluto per Dei gratiam Collegio Digeſtorum Struviano aliud *Pandectarum* ſive ad *Lauterbachium* ſive *Schwabelium* inchoabit. Præterea & Collegii in *Juris Naturæ & Gentium* nec non ad Dn. *Schwvederi* Introductionem *Juris Publici* vel *Baecleri Notitiam* Imperii, prout arriſerit Dnn. Auditoribus, habebit.

JOH. NICOLAUS HERTIUS, *J. U. D. & Prof. Ordin.* *publicè* perget in Inſtitutionibus, titulum de actionibus & qui ſequuntur, explicaturus. *Privatim* ſe libenter accomodabit deſideriis illorum, qui vel univerſali vel Romanæ Jurispr. operari cupient; Inprimis D. V. ſeriem Digeſtorum ita inſtituet tradere, ut à lectione Inſtitutionum recentes Juris Studioſi intelligant, quid præter leges præcipuas ſummatim in quoquo titulo contineatur, nec tamen opera illa ultra ſemeſtre protrahatur.

BERNHARDUS LUDOVICUS MOLLENBECIUS, *J. U. D. & Prof. Extraord.* Publicè exercitium Diſputatorium inſtituet, & ſimul ac privatim Inſtitutionum, Feudorum, ac Pandectarum Collegia abſolverit, nova ex deſiderio Auditorum, Deo juvante, aperiet.

### IN FACULTATE MEDICA.

MICHAEL HEYLAND / *Phil. & Med. D. & Prof. Ordin.* Poſtquam præcipuorum Paradoxorum quæ in Phyſiologiam noſtro tempore Neoterici induxerunt, in publica Cathedra Examen abſolverit, idem porro continuabit procedendo ad alias Artis Noſtræ partes. Privatim Pathologiam quæ jam dum deſiderata fuit, mox poſt ferias tractandam ſuſcipiet. Sed nec deerit & aliis, qui aliud in ſuis ſtudiis expetent exercitium.

JUSTUS FRIDERICUS DILLENIUS, *Med. Doct. & Prof. Ord. n. h. t. Academiæ Rector*, etſi per ardua & concatenata negotia publica publicis Lectionibus atque Herbationibus ſolitis inſtante ſemeſtri vix ac ne vix quidem vacare poterit: Privatim tamen operam ſuam ac ſtudium in iis, quæ muneris ſui erunt, Philiatrorum voto ac deſiderio lubentique accommodabit.

LUDOVICUS CHRISTIANUS TACKIUS, *Med. Lic. ejusdemq; Prof. Ord.* uti cœpit, publicè Diætam prælegit, una cum materia Medica, & quæ eâ neceſſitate referantur ad doctrinam de morbis cognoſcendis, præcavendis, curandis, dijudicandis, ex fonte practico declarabit, non omittens Jonſtonis Ideæ Medicinæ practicæ librum, quicquid huc loci ex ſententiis Hippocratis, Galeni & Hermeticorum irradiare poterit, id quàm ſolicitè & ſimul eò diriget; Cæterum per quietem lectionum privatarum offert Dominis Philiatris, quæ deſiderabunt ex arte alia.

### IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

HEINRICUS PHASIANUS, *SS. Theol D. Eloquentiæ, & Hiſtoriarum Prof. P. Ordin.* Hiſtoriam reformationis, cum DEO, publice enarrabit. Privatim Oratoriæ uſum in Sacris oſtendet; vel in aliis etiam, pro temporis ratione, Dnn. Auditorum ſtudia promovere, allaborabit.

JOHANNES HENRICUS MAJUS, *Ling. Orient. Prof. Ord.* Nihil magis expetit, quàm ut omnes, qui S. Theologiæ ſe conſecrant, ſcrutentur Scripturas in Hebraicis fontibus: Et hoc nomine operam ſtudiumque iis offert. Neque illis deerit, qui alias Orientis Linguas perdiſcere cupiunt. Denique *Examen Hiſtoriæ Criticæ* N. T. *P. Richardi Simonis* publicè diſputando abſolvet, & pari deinceps ratione ejusdem *Hiſtoriam Criticam Verſionum* N. T. examinabit.

M. BALTHASAR MENTZERUS, *Prof. Mathem. Ord.* Varias Matheſeos ſcientias, pro Dominorum Auditorum deſiderio, *privatim* exponet, atque præterea *Geodeſiam*, tempore opportuno, in ſylvis & pratis, ad Lani ripam, in montibus, &c. exercebit; quod, ut dextro fiat genio, Geometriam *publicè* explicabit, variorum ſimul terminorum & inſtrumentorum demonſtraturus uſum, in praxi moderna non modicum.

BERNHARDUS LUDOVICUS MOLLENBECIUS, *J. U. D. Moralium ac Civilium Prof. Ordin.* In exponendis *quæſtionibus Veſtenii Politico-Ethicis*, & eventilandis *Boecleri Inſtitutionibus Politicis*, publicè perget, ac Privatis Auditoribus, in Moralibus pariter ac Politicis, promptitudinem ſuam porrò exhibebit.

M. PHILIPPUS CASIMIRUS SCHLOSSERUS, *Log. & Metaph. Prof. Ordin.* Pro lectionibus publicis, Deo gratiosè adminiculante, *Disquiſitiones ſuas Logicas*, quarum primam nuperâ hyeme ſemicenturiam typis excuſam abſolvit, impoſterum ventilare perget, alternisque vicibus *Metaphyſicæ* ſimul *Divinæ* expoſitionem, methodô hactenus placitâ, continuabit. In privatis verò Collegiis propriis Dn. Auditorum deſideriis optionem relinquens, ſingulis ex voto pariter atque commodo ipſorum inſervire annitetur.

MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI, *Med. D. & Prof. Phyſ.* publicè *Hiſtoriam Animalium*, in ſpecie *Quadrupedum* expediet: Privatim in vota ibit Auditorum, quibus omni ſtudiò & opera gratificaturus erit.

*GISSÆ HASSORUM*, Typis CHRISTOPHORI HERMANNI KARGERI, Acad. Typogr. Ord.

# ACADEMIÆ GISSENÆ RECTOR,

# JUSTUS FRIDERICUS DILLENIUS,

## MED. DOCT. ET PROFESS. ORDIN.

*NEC NON*

## CÆSAREO-LEOPOLD. ACADEMICUS NATURÆ-CURIOSUS,

## TOTUSQUE PROFESSORUM ORDO

*CUNCTIS ACADEMIÆ CIVIBUS*

S. P. D.

SOlonis è ſeptem Græciæ Sapientum numero unius inter alia memorabilia dicta & hoc fuiſſe perhibent:

*Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος,*

*Seneſco, ſemper multa addiſcens.*

Seu ut Poëta vertit: *Diſcenti aſſiduè multa ſenecta venit.*

*Pomponius* autem JCtus *L. Pandect. XX. de Fidei commiſſ. libert. apud Julianum* hoc modo ἐφθέγξατο: „Etſi alterum pedem in ſepulchro „haberem, adhuc addiſcere quædam vellem; Atque aureolæ hujus ſententiæ ſe, diſcendi cupiditate, quam ſolam vivendi rationem optimam in octavum & ſeptuageſimum ætatis annum duxerit, adhuc memorem eſſe ſcribit. Et Aliger ille *Scaliger* in ſuis ad *Hieron. Cardanum* „de Subtilit. Exercitationib. Omnis non ſolùm ceſſatio, inquit, ingenuo Viro (Studioſo) ignavia eſt, ſed etiam quærendi defatigatio exiſti- „mari debet turpiſſima, ubi id quod quæritur eſt pulcherrimum. Pulchrius autem quid eſſe in hoc univerſo Artibus ingenuis ac Doctrinarum ſtudiis animoque iisdem probè exculto, mihi quidem nemò facilè perſuaſerit, niſi qui dicam fortè *Socrati*, mortalium quondam ſapientiſſimo ſcribere velit, cùm interroganti, quodnam eſſet pulcherrimum animal? iſte reſpondit: Hominem doctrinâ ornatum, teſte *Antonio in Meliſſ. Part. I. Serm. 50.* Hinc *Thales* ille *Mileſius*, „inter VII. Sapientes Græciæ itidem haud ultimus, *Laërtio* auctore *Lib. 1. cap. 1.* dicere ſolitus erat: Faciem componere non præclarum eſſe, ſed bonarum Artium ſtu- „diis animum excolere longè eſſe præclarius. Atque idem *Thales* interrogatus ab alio, quisnam eſſet felix? Qui corpore, inquit, ſanus eſt; animô verò eruditus. „Ἐπιφώνημα ſuum iterum addit *illuſtris Scaliger Exerc. 216. S. 1.* Nihil eſſe beatius, quàm ſcire; Nihil divinius, quàm docere; Nihil veræ felicitati propius, quàm „diſcere. Hinc pergit idem: Diſcamus igitur omnes absque conviciis atque exprobrationibus mutuâ charitate; Ut, quemadmodùm in reliquarum opulentia for- „tunarum quod quisque Dei beneficiô, ſuo labore ac diligentiâ conſecutus fuerit, id in medium ponat, & impertiat non habenti: Inferiores verò tam libenter acci- „piant, tam gratè acceptum ferant, quàm haud gravatè contulerint feliciores. Prorſus appoſitè, meâ ſententiâ, & in rem præſentem accommodatè. Unde nec verbum amplius addam, niſi, ut *Hoc agatis* CIVES ACADEMIÆ NOBILISSIMI! Et frequentiâ atque diligentiâ Veſtrâ Noſtram, quæ nunquam Vobis deerit, excitetis. PP. In ALMA LUDOVICIANA, III. Eid. Septemb. Anno Æræ Chriſt. M. DC.XCII. Sub Sigillo Academiæ majori.

## IN FACULTATE THEOLOGICA.

PHILIPPUS LUDOVICUS HANNEKENIUS, *SS. Theol. D. & Prof. Ord.* In *Lectionibus publicis*, opitulante gratiâ JESU CHRISTI, continuabit explicationem Formulæ Concordiæ, libri orthodoxarum Eccleſiarum, aut Symbolici, aut maximæ æſtimationis; cujus cynoſuram tenere ſchismaticis hiſce tempeſtatibus admodum eſt neceſſarium. In *privatis* Collegiis aſſurget deſiderio Dominorum Auditorum; per diſputationem vindicaturus loca SS. Scripturarum ab Hæreticis nois & aliis corrupta, factâ digeſtione juxta Locos Theologicos; niſi ſtudium aliud magis arceſſerit.

JOHANNES HENRICUS MAJUS, *SS. Theol. D. & Prof. Ordinar. Vaticinia de Meſſia*, quotquot in *Jeſaia* leguntur, publicè explicabit, & ab adverſariorum, Judæorumque inprimis, objectionibus, vindicabit. Cumque poſt ſacras literas Libri Symbolici commendatiſſimi nobis eſſe debeant, ut maturè ſequi ac ſentire cum Eccleſia, in qua nati educatique ſumus, diſcamus, mihi viſum B. C. D. fuit, utile ac neceſſarium, *Theologiam Symbolicam*, ſive ex omnibus Libris Symbolicis ſecundum ſeriem & methodum Locorum Theol. digeſtam, privatim ita tradere, ut primò argumenta *Theſin* orthodoxam probantia indè colligantur, uberiusque ſi opus fuerit, explicentur & confirmentur; Deinde *antitheſis* ſubjungatur atque *heterodoxia* refellatur: denique inſigniores *controverſiæ* diſputationibus ſubmittantur. Collegium in Harmoniam IV. Evangeliſtarum etiam continuabit & ad finem D. V. perducet.

HEINRICUS PHASIANUS, *SS. Theol. D. & Profeſſ. Ejusdem Extraord. D. d.* lectiones in A. C. publice continuabit. Privatim, ita volentibus Dnn. Auditoribus, Königii Theologiæ poſitivæ explanationem proſequetur. Collegium item privatum Biblicum in uſum eorum inſtituet, qui Homileticis operabuntur; ita, ut ex arbitraria librorum SS. lectione ea ſit excerpenda traditurus, quæ non tantum orthodoxiam firmant, ſed etiam, quæ ſequioribus faciunt dogmatibus confutandis, &, quæ demum variis deſervire uſibus aliis poſſunt.

## IN FACULTATE JURIDICA.

ANTON-HENRICUS MOLLENBECIUS, *J. U. D. Codicis Prof. Ordinar. & Jurid. Facult. Senior*, DEO vitam atque Vires clementer largiente, ampliſſimam de *judiciorum proceſſibus* materiam, ad quam omnes noſtri juris partes, tanquam ad ſcopum collimant & referuntur, Publicarum Lectionum loco delineabit, & methodicè ordine congruô explanabit. Privatam quoque ejus operam deſideraturis, pro Virili ſatisfacere ſedulo enitetur.

FRIDERICUS NITZSCHIUS, *Ph. & U. J. D. Conſiliar. Haſſ. & P. P. P.* Dante Deo præmiſſâ Doctrinâ *de genuinâ Legum Interpretatione* Leges Digeſtorum, quæ ex ſcriptis *JCti Pomponii* a Compilatoribus ſunt depromptæ, ſuccinctâ explicatione *publicè* enodare incipiet. *Privatim* deſiderio Dnn. Auditorum ſe accommodabit, & vel Collegium *Juris Feudalis & Publici* vel etiam *Pandectarum* habebit.

JOH. NICOLAUS HERTIUS, *J. U. D. & Prof. Ordin. publicè* poſtquam genera actionum ſecundum Inſtitutionum Juſtinianarum ductum explicuit, hoc ſemeſtri D. Samuelis Stryckii *Introductionem ad praxin forenſem cautè inſtituendam* exponet; *privatim* deſideriis illorum, qui in jure *privato* vel publico, Univerſali aut Romano, erudiri cupient, libenter gratificabitur.

BERNHARDUS LUDOVICUS MOLLENBECIUS, *J. U. D. & Prof. Extraord.* Quam hactenus exhibuit Cupidis Legum Cultoribus gratificandi promptitudinem, eandem porrò, Deô Vires & ſanitatem largiente, præſtabit.

## IN FACULTATE MEDICA.

MICHAEL Heyland, *Phil. & Med. D. & Prof. Ordin.* In Paradoxorum à Neotericis curſorum Examine porrò continuabit, niſi futuri Auditores magis practica deſideraverint. Privatim & captui & votis Philiatrorum ſeſe accommodabit.

JUSTUS FRIDERICUS DILLENIUS, *Doct. Medicus & Prof. Ordin. h. t. Academiæ Rector*, quamprimùm Rectoratûs munere feliciter defunctus fuerit, aut quotiescunque per illud ipſum integrum ſibi fuerit, *ad Hiſtoriam uſumque Partium Corp. Hum.* methodô hactenus ſuetâ publicè explanandum revertetur, & ad umbilicum tandem perducere conabitur. Nec minus etiam privatam ſuam operam in *Anatomicis Chirurgicisvè* exercitiis brumali hoc inſtante tempore ritè expetentibus Philiatris commodabit.

LUDOVICUS CHRISTIANUS TACKIUS, *Med. Lic. ejusdemq; Prof. Ord.* uti cœpit, publicè Diætam præleget, una cum materia Medica, & quæ eâ neceſſitate referantur ad doctrinam de morbis cognoſcendis, præcavendis, curandis, di- judicandis, ex fonte practico declarabit, non omittens Jonſtonis Ideæ Medicinæ practicæ librum, quicquid huc loci ex ſententiis Hippocratis, Galeni & Hermeticorum irradiare poterit, id quàm ſolicitè & ſimul eò diriget; Cæterùm per quietem lectionum privatarum offert Dominus Philiatris, quæ deſiderabunt ex arte alia.

## IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

HEINRICUS PHASIANUS, *Hiſtor. atque Eloq. Profeſſor Ordin. Publicus*, operam ſuam Hiſtoriarum cultoribus publicè ita commodabit, ut à nato Salvatore diſtinctè, Deo juvante 1. Hiſtoriam Imp. 2. Patrum. 3. Pontificum Romanorum 4. Hæreſium 5. Conciliorum 6. Perſecutionum. 7. Statûs Eccleſiæ per ſecula breviter quidem, in calamum ſit traditurus; ſed ita tamen, ut nil eorum omittatur, quorum uſus præcipuè ſpectandus venit. Partietur autem pro placito lectiones, ut privatæ publicis ſuccurrant, quò rei, aliàs prolixæ, curſus promoveatur magis. In Oratoriis etiam, quæ pro deſiderio Dnn. Auditorum præſtanda occurrent, præſtabit pro viribus.

JOHANNES HENRICUS MAJUS, *Ling. Orient. Prof. Ord.* ſtudium operamque in quibuslibet Orientis Linguis docendis Studioſæ Juventuti offert, ac Criticam Sacram præcipuè tradere Philologiæ Cultoribus annitetur. Quo nomine tria, quæ reſtant, in Hiſtoria Critica *P. Richardi Simonis*, Capita publicis diſputationibus abſolvet, & ad alteram deinceps partem, quæ eſt de *Verſionibus Novi Teſtam.* progredietur.

M. BALTHASAR MENTZERUS, *Prof. Mathem. Ord.* Uſum Globi Aſtronomici *publicè* explicabit, junctis Tabulis Norinbergenſibus minoribus, vulgò: Aſtronomiſches Karten-Spiel. *Privatim* curioſa ex *Schwenteri* Deliciis communicabit; nec non laudatas ſæpius Fortalitiorum ichnographias noviſſimas atque mappas ſpeciales Geographicas, (quas *Dn. Perſon* Moguntiæ, ſub titulo: *Quotidiani Martis Labores* &c. publicis præconiis dignas, nuper edidit,) earumque varium uſum exponet.

BERNHARDUS LUDOVICUS MOLLENBECIUS, *U. Moralium ac Civilium Prof. Ordin.* Publicè ſelectiores quæſtiones Politicas proponet, & cœptum exercitium Berneggerianum continuabit. Privatim quoque in Moralibus pariter ac Civilibus officio ſuo fungetur.

M. PHILIPPUS CASIMIRUS SCHLOSSERUS, *Log. & Metaph. Prof. Ordin.* *Quaeſtiones ſelectiores Logicas* methodô à ſe concinnatâ & conſignatas & prælo commiſſas, ventilationi porrò publicæ, ſi modò integras animo corporique vires & frequentiorem Reſpondentium Deus numerum conceſſerit, binis per hebdomadam diebus, committere perget; Cæterùm diebus reliquis *Affectiones transcendentes* potiſſimùm *disjunctas*, una cum *porismatibus* indè deductis, ſecundùm ſeriem à B. Dn. Calovio obſervatam, à perverſa aliorum tùm explicatione tùm applicatione vindicatas & uſui genuino reſtitutas, declaraturus. Privata verò in utramque ſuæ profeſſionis diſciplinam collegia propriis Dnn. Studioſorum deſideriis captuique accommodabit, operam ſedulo daturus, ut ſua Auditorem induſtrium ſpes minime deſtituat.

MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI, *Med. D. & Prof. Phyſ. Ord.* publicè *in Phyſicam Hippocrateam*, à B. Dn. Horſtio Archiatro quondam Haſſo-Darmſtadino in gratiam Philiatrorum ſuccinctè collectam, fusiùs commentabitur, omniaque Dnn. Auditorum ventilationi publicæ committet. *Domi* verò ſe ad captum atque votum illorum accommodabit, qui privatam ejus operam deſideraturi erunt.

GISSÆ HASSORUM, Typis CHRISTOPHORI HERMANNI KARGERI, Acad. Typogr. Ord.

# ACADEMIÆ GISSENÆ RECTOR,

# PHIL. CASIMIRUS SCHLOSSERUS,

## LOGICÆ ET METAPHYSICÆ PROFESSOR ORDINARIUS, TOTUSQUE SENATUS ACADEMICUS

*CIVIBUS SUIS LECTISSIMIS*

Εὐθύμει καὶ εὐτύχει!

INter alia quàm plurima, quæ omnibus artibus omnibusque opificiis addiſcendis, imprimis autem Phœbi in caſtris deſudantibus adque culmen contendentibus ſcientiæ, pernecesſaria eſſe creduntur, tria præcipuè, concurrente benedictione divina, maximum, in omni ſtudiorum genere, pondus obtinent: *Ingenium* videlicet, *Inſtitutio* atque *Induſtria*. Per *ingenium*, cum *Poſſevino in Biblioth. ſelect. L. de Cultur. ingenior. c. 10.* intelligo *Indolem illam, quâ facile res aut artes addiſcuntur*, vel ut *Scaligero de ſubtil. Exerc. 1.* finire placuit, *Vim illam intellectûs, quâ difficilia facile comprehenduntur*, adde & inveniuntur & retinentur; paucis, *Docilitatem* atque *Memoriam*, quam utramque *unô ingenii nomine contineri* autor eſt *Cicero L. 5. de finib.* Quibus qui magis pollent, eò propius ad ſcopum accedunt, per omnia, etiam difficilima facile penetrantes. Denegatis verò his iis, qui artibus animum applicant, invitis aut canibus venabitur aut bobus arare ſuſtinebit, quisquis adeo repugnante naturâ, ingenioque reluctante, Horatiani illius: *Tu nihil invitâ dices faciesvè Minervâ*, parum memor, ad ſolidæ faſtigium eruditionis graſſabitur. Hic enim verum eſt, quod ita alicubi *Seneca* exprimit: *Malè reſpondent coacta ingenia!* Sed ut ingenium igniculos ſuos feliciter promat, & ad maturitatem maturè proveniat, *Inſtitutionis* cura accedat oportet. Ut enim, *Plutarchô in Pædag.* referente, γῆ ἰσῃ τῇ φύσει βελτίων ἐστί, τοσούτῳ μᾶλλον ἐξαγριοῦται δι' ἀμέλειαν ἐξαμελουμένη, ita etiam optima ingenia, ſibi ſuisque viribus relicta, plus tum ſibi tum aliis obeſſe quàm prodeſſe ſolent, ad res adhibita gerendas, media in luce caligant, aut inani quadam perſuaſione tumeſcunt, ebriis eâ in re non diſſimilia, qui cùm maximè vinô ſunt obruti, ſobrii nihilominus dici haberique volunt, ſed interim deridendos ſeſe aliis propinant, non etiam rarò in vitæ diſcrimen atque periculum conjiciunt. Et quamvis forſan fuerint, qui, quod de Auguſtino, Vergilio, Heraclito & aliis ferunt, ſolô ingenii acumine freti, plura ἀθάνατα præſtiterint, invenias tamen longè plures, quibus hæc, quam ſibi ſuisque Muſis cecinerunt, peſſimè cantilena ceſſit. Tandem & *Induſtria* requiritur & labor, qui teſte Poëta, imò omni temporum experientiâ *improbus omnia vincit.* Fruſtranea ſiquidem ceu fuerit omnis Præceptorum inſtitutio, niſi diſcentis ſimul labor atque ſedulitas acceſſerint, ſic ex adverſo, judice *Senecâ, Epiſt. L. nihil eſt, quod non expugnet pertinax opera & intenta ac diligens cura.* Adeo ut etiam Demoſthenes, ſummus ille dicendi Magiſter, quô nemo unquam extitit laborioſior, nemo diligentior, antelucanâ ſuâ diligentiâ, quâ plus olei quàm vini abſumens, artifices etiam χειρῶνας pleroſque ſuperavit, vel ipſa reluctantis naturæ obſtacula tam felici removerit ſucceſſu, ut ad ultimum eloquentiæ faſtigium ac decus, teſtibus *Valeriô M. L. 8. c. 7. & Cicerone L. 4. Tuſc. quæſt.* adſcenderit. Optandum eſſet, ô LECTISSIMI CIVES, *ſpes Patriæ & Parentum veſtrorum decus*, optandum inquam & omnibus modis optandum eſſet, plures hunc inter vos ſui ſimiles reliquiſſe; quorum in animis tria illa, quæ commendavimus erudiendorum adminicula optimè conſpirarent! Equidem ad primum quod attinet, naturæ illam bonitatem atque ingenii, eâdem pleroſque veſtrum, divinâ ſic providente clementiâ, inſtructos ſat eſſe & novimus & delectamur. Sed nec alterum quoque vobis deeſſe, inſtitutionis occaſionem, id TABULA LOQUITUR HIC PUBLICE SUSPENSA, quâ operam vobis denuò ſuam offerunt omnium Facultatum in hâc LUDOVICIANA PROFESSORES. Tertium verò quò minus deſideretur, labor ſcilicet atque induſtria, id veſtrum erit diſpicere, ne præteritos aliquando, ſed fruſtra annos ✗ diendique in ſcholis occaſiones neglectas, ſerio quidem aſt ſerò nimis doleatis atque deploretis. P.P. Gieſſæ ſub Sigillo Academ. Maj. Dom. Judica A.O.R. MDCXCIII.

## IN FACULTATE THEOLOGICA.

PHILIPPUS LUDOVICUS HANNEKENIUS, *SS. Theol. D. & Prof. Ordin.* Dum hîc loci ſinetur eſſe res humanas regentium arbitratu, Dominis Auditoribus ſuis publicè privatimque ea omnia, DEO gratiosè opitulante, ſedulò præſtare officia annitetur, quæ ad commoda ipſorum exiſtimabuntur poſſe pertinere, publicis maximè lectionibus deſideratas abſolvere, quæ pauca reſtant in Form. Concord. explicanda. Interea alacriter ſubintrans divinam ad λογικὰ ἔργα & integerrima B. Lutheri Pulpita vocationem res ſuas in proſperum abitum devotà componet, valere jubens tritam hactenus dilectamque cathedram cum dilectiſſimis auditoribus; quæ poſt eum non vacet ab optimo piorum Deceſſorum ſucceſſore; valere jubens optimè Magnif. Dn. Rectorem, ſocialique amoris affectu faventes Dominos Collegas; valere Academiæ ſinceros miniſtros; valere etiam atque etiam omnes Academiæ Patronos & Evergetas, voveatque piis deſideriis Sereniſſimo Nutritio ſartas tectasque has Muſas ſub feliciſſimo in ſeros poſteros regimine. Fiat! Fiat!

JOHANNES HENRICUS MAJUS, *SS. Theol. D. & Prof. Ordinar.* *Oracula de Meſſia ex Jeſaia* ad Caput usque XL. hactenus in publicis prælectionibus ſic explicata, ut, quæ ad Theologiam æque ac Philologiam ſpectant, breviter ac perſpicuè traderet, eâdem ratione porrò continuabit, & D.V. abſolvet. Privatim ea, quæ in *Theologia Symbolica* Eccleſiarum Lutheranarum reſtant, explicando diſputandoque ad finem perducet, & in auream *D. Pauli ad Romanos Epiſtolam* ita commentabitur, ut, quæ verborum argumentorumque Apoſtolicorum vis ac robur ſit, quæque inde Poriſmata deduci queant, dilucidè oſtenſurus ſit. Si quid præterea deſideraverint Auditores, vel in Homileticis, vel aliis Theologiæ partibus, promtum ſe paratumque ad omnia pollicetur.

HEINRICUS PHASIANUS, *SS. Theol. D. & Profeſſ. ejusdem Extraord.* publice, Deo bene juvante, Locos Theologicos, certis Aphoriſmis incluſos, ad ductum inprimis B. Gerhardi, exponet; quos, nobiliorum controverſiarum allegatione, diductos, diſputationum item ventilationi commodabit, operam daturus, ut omnes hoc ſemeſtri abſolvantur. Non minus collegium ſuperius Biblicum privatum continuabit, Homileticis præcipue dicatum, ſi eo queat, vel alio etiam ſuo quocunque ſtudio, profectibus SS. Theologiæ operantium gratificari.

## IN FACULTATE JURIDICA.

ANTON. HENRICUS MOLLENBECIUS, *J. U. D. Codicis Prof. Ordinar. & Jurid. Facult. Senior*, quantum provectior ætas viresque debilitatæ permittent, ſuper intimatam judiciorum materiam publicè continuabit, prout & privatis aliorum deſideriis nil pro virili denegabit.

FRIDERICUS NITZSCHIUS, *Ph. & U. J. D. Conſiliar. Haſſ. & Pand. P.P.* Jus Feudale *Publicè* V.D. tractabit; *Privatim* verò Collegium Pandectarum ſive ad *Struvii Syntagma* ſive ad *Compendium Lauterbachianum*, vel etiam, ſi magis placuerit, Collegium Juris Publici deſiderantibus habebit.

JOH. NICOLAUS HERTIUS, *J. U. D. & P.P. publicè* quæ reſtant tria capita in introductione ad praxin D. Stryckii abſolvet, & hinc progredietur ad materiam teſtamentorum, quam ſecundum ductum Compendii juris Lauterbachiani explicabit, ſingulis etiam hebdomadis exercitium diſputatorium ſemel interponet. *Privatim* ad deſideria illorum, qui in ſtudio juris navare operam cupiunt, ſe pro virili accommodabit.

BERNHARDUS LUDOVICUS MOLLENBECIUS, *J.U.D. & Prof. Ordin.* In exponendis Quæſtionibus Locametti Juſtinianeis publicè perget. Privatim Inſtitutiones prælegет, & ſi qui diſputando exerceri velint, operam ſuam libenter porrò conferet.

## IN FACULTATE MEDICA.

MICHAEL Heyland, *Phil. & Med. D. nec non Prof. Ordin.* Medicinam Practicam in poſterum ex Publica Cathedra traditurus Affectus Particulares primitus aggredietur, initio facto ab Affectibus Capitis iisque frequentioribus. Quod ſi fuerint, qui, prius probe jactis in Inſtitutionibus fundamentis viam ad Praxin ſterni deſiderabunt, neque illis intra privatos parietes deerit.

JUSTUS FRIDERICUS DILLENIUS, *Med. Doctor & Prof. Ordin.* Per inſtans ſemeſtre æſtivum Plantarum demonſtrationibus ſolitis in Horto Medico, nec non Excurſionibus & Herbationibus campeſtribus, invitante cœlo, vacabit publicè: Quin & privatam ſuam operam in omni Medicinæ parte, ſive dictando, ſive explicando, ſive examinando aut etiam diſputando expetentibus Philiatris nullus denegabit, ſed lubique commodabit.

LUDOVICUS CHRISTIANUS TACKIUS, *Med. Lic. ejusdemq; Prof. Ord.* quantum per valetudinem licuerit, publicè Diætam prælegет, una cum materia Medica, & quæ cà neceſſitate referantur ad doctrinam de morbis cognoſcendis, præcavendis, curandis, dijudicandis, ex fonte practico declarabit, non omittens Jonſtonis Ideæ Medicinæ practicæ librum, quicquid huc lucis ex ſententiis Hippocratis, Galeni & Hermeticorum irradiare poterit, id quàm ſolicitè & ſimul eò diriget; Cæterùm per quietem lectionum privatarum offert Dominis Philiatris, quæ deſiderabunt ex arte alia.

## IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

HEINRICUS PHASIANUS, *Hiſtor. atque Eloq. Profeſſor Ordin. Publicus*, privatim Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ enarrationem continuabit. Deſideratum etiam in Puffendorffii introductionem, Collegium, ab Auditorum hactenus paucitate ſufflaminatum, ſi frequentioribus uti licebit, aperiet. Pro voto quoque Eloquentiæ Studioſorum officio non deerit.

JOHANNES HENRICUS MAJUS, *Ling. Orient. Prof. Ord.* nulla in parte deerit ſacrarum literarum Cultoribus, ſi modò perſuaderi ſe Studioſi paterentur & ad ingrediendam & ad ſuſcipiendam rationem ſtudii Linguarum & inprimis Originalium, ſine quarum tamen notitia nec dici nec eſſe Theologiæ Studioſi poſſunt.

M. BALTHASAR MENTZERUS, *Prof. Mathem. Ord.* Publicè *Geometriam* Elementarem & Practicam docebit: Privatim *Sturmii* Matheſin Enucleatam, *Tylkowski* Arithmeticam Curioſam, *Mallet* Geographiam Novam, & alia exponet, quæ Dn. Auditoribus grata eſſe cognoverit atque utilia.

M. PHILIPPUS CASIMIRUS SCHLOSSERUS, *Logic. & Metaph. Prof. Ordin.* quantum per RECTORATÛS Spartam licuerit, in continuandis publicè Agoniſmis ſuis Logicis perget. Domeſtico verò in auditorio cùm, per brumam elapſam, *partem Metaphyſicæ generalem* expoſuerit, appetentibus his menſibus æſtivis, ſi ita & Deo viſum fuerit & Auditoribus futuris, *ſpecialem* quoque explicandam ſumet, non neglectâ tamen penitus illâ generali, ex qua ſubinde unâ cujuslibet hebdomadæ horâ, theſes ad diſputandum proponet. Cæterum in Logicis ſeſe accommodaturus eſt deſideriis eorum, qui ſuam quocunque modò operam expetierint.

MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI, *Med. D. & Prof. Phyſ. Ordin.* poſtquàm *Phyſicam Hippocratico-Horſtianam* & explicando & diſputando PUBLICE abſolvit, in gratiam eorum, qui Philologiæ Sacræ operam navant *Arboretum Biblicum Urſini* poſthàc explicabit, non omiſſis, ſi tempus tulerit, *herbis & gemmis* biblicis, eâ tamen methodo, ut & Philiatri habeant, quæ in ſtudii Medici uſum vergant & commodum. PRIVATIM *Collegium Inſtitutionum* Explicatorio-Examinatorium aperiet, in *Phyſicam Giſſenam* aut alium à DNN. Auditoribus eligendum Autorem, quibus & in aliis quibuscunque petitis ſatisfacere ſtudebit.

GREGORIUS NITZSCHIUS, *J. U. Lic. Moralium & Civilium Prof. Ordin.* Poſtquam poſterioribus elapſi Semeſtris menſibus Philoſophiam moralem publicè prælegit, ejusdemque partem generalem abſolvit, futuro Semeſtri partem ſpecialem explanabit. Privatim Collegium Ethicum & Politicum habebit, & Autores pro Auditorum captu & deſiderio eliget. Si qui præterea ſint, qui Collegia in H. Grotii Opus de Jure Belli & Pac. Nec non in Joh. Henr. Boecleri Notitiam imp. rii deſiderant, iis operam ſuam indefeſſam pollicetur.

*GISSÆ HASSORUM*, Typis CHRISTOPHORI HERMANNI KARGERI, Acad. Typogr. Ord.

# ACADEMIÆ GISSENÆ
# RECTOR,
# PHILIPPUS CASIMIRUS SCHLOSSERUS,
## LOGICÆ ET METAPHYSICÆ PROFESSOR ORD.
## TOTUSQUE SENATUS ACADEMICUS
*SALUTE PLURIMA*
### OMNES OMNIUM FACULTATUM STUDIOSOS
impertit.

EA eſt imbecillitatis humanæ conditio, ut quemadmodum diei ac noctis, caloris atque frigoris, hyemis & æſtatis, ſic laboris etiam atque quietis alternantem ſubinde viciſſitudinem requirat. Cùm enim grata rerum omnium intervalla provida mater natura hinc inde conſtituerit, ordinatiſſima earundem permutatione diſponens, ut ceſſet terra novalibus, fœcundam cœlitus manantem pluviam ſerenitas aurea excipiat, ſol ille noctibus jucunda ſuâ per vices ſucceſſione locum faciat, luna ſolis ortu lucendo acquieſcat; Anne ſolum hominem ita putabimus eſſe infatigabilem, ut labores ille laboribus impiger continuet, ſtudia ſtudiis perpetuata cumulet, obliterata præterita putet ſi deſinat, nec, niſi laboret, laboraſſe ſemet exiſtimet? Quin *utroſque* potius *reprehendendos* Seneca judicat, *& eos qui ſemper inquieti ſunt, & eos qui ſemper quieſcunt. Nam illa*, inquit, *tumultu gaudens, non eſt induſtria ſed exagitatæ mentis concurſatio, & hæc non eſt quies, quæ motum omnem moleſtiam judicat, ſed diſſolutio & languor.* Hinc Amaſim Ægyptiorum Regem, cùm ab aurora uſque dum refertum eſſet forum, accuratè publica negotia expediret, poſt animi ſeſe daret relaxationi ac conviviis, eoque nomine à nonnullis reprehenderetur, dixiſſe refert *in Euterpe* Herodotus: *Ut arcus ab his, quorum ſunt, quando eſt opus intenduntur, ſemper verò ſi intenti ſint, aut ebbruteſcunt, aut rumpuntur. ita hominem quoque, ſi aſſidue laboret, recreatione nulla utatur, pedetentim vel membris, vel mente capi.* Neque enim, alternâ requie quod caret, eſſe durabile poteſt, aut ulla ulli us tanta vis animi, corporis tantum unquam robur extitit, qui continuos labores, perpetuoque vigentes motus, quiete nullâ interpoſitâ, ferre valuerit. Amant alterna Camœnæ & optima ingenia interdum quieſcunt, non otii aut deſidiæ cauſa, ſed ut majori cum alacritate ad officium ſuum redeant. Quemadmodum enim longius proſiliunt illi, qui paulatim regreſſi ſpiritus recolligunt, ſic homines ad virtutum actiones ferventiores videri ſolent, ſi quieſcere nonnunquam liceat. Sed eſt in hoc ipſo cautione, eſt prudentiâ eaque diligenti & accuratâ opus, ne ultra quam fas eſt protracta requies turpiſſimum degeneret in otium, & non, quod eſſe juxta *Plutarchum de liber. educ.* debebat, *laborum tendimentum*, ſed abominandum Diaboli luſtrum evadat & pulvinar, in quo ſuaviter ille & requieſcat & conquieſcat. Quamobrem *inter ſe*, ut ait Seneca, *iſta miſcenda ſunt, & quieſcenti agendum & agenti quieſcendum eſt*, æque enim, ut dictum, in vitiis ponitur & nullas agere ferias & continuas. Non latuit hoc Sereniſſimos hujus Academiæ Fundatores pariter atque Nutricios Munificentiſſimos, quare ceu Muſarum his in caſtris militantibus Alumnis moderatam quoque à ſtudiis academicis quietem & ferias, (circa nundinas imprimis tam vernales quàm autumnales) clementer indulſerunt, ita hoc infimul, ne in immodicum illæ excreſcerent, quàm prudentiſſimè caverunt, conſtitutô hunc in finem, *unius menſis ſpatio*, quô cum ipſo nundinarum fine finito, ad ſuas quoſque operas redire cum Docentes tum Diſcentes benigne voluerunt atque etiam nunc volunt. Cui laudatiſſimæ ipſorum ſanctioni morem equidem, quantum in nobis eſt, ſubmiſſa veneratione gerere parati ſumus, eumque in finem hunc habendarum, internundinô hoc hyemali, *Lectionum Catalogum*, maturè publicamus, modò etiam illi, quibus diſcendi gloria relicta eſt, ſui & officii & in academiam reditus non obliviſcerentur, ſed tempore definito alacres ſeſe Profeſſoribus, non tantum paratis ſed obviis etiam, ſiſterent auditores! ii præcipuè, qui vel patriâ nobiſcum communi utuntur, vel ſtipendiis etiam aluntur publicis, quos, ceu peſſimo hactenus exemplo & primos, nec dum collegiis finitis, nec Præceptoribus ſalutatis, ne dum ſolutis abire & noviſſimos omnium redire, moleſtè tulimus, ita ut hunc in poſterum defectum corrigant, melius Superiorum juſſa obſervent, Evarhli animum exuentes & Tiſiæ Docentibus gratos ſe præſtent, ſuique officii partes omnes fideliter impleant, autoritate Sereniſſimi Principis ac Domini noſtri, ſeriò monemus atque hortamur. PP. Giſſæ ſub ſigillo Acad. Majore, die XVII. Septembris Anno M DC XCIII.

## IN FACULTATE THEOLOGICA.

DJOHANNES CHRISTOPHORUS Bilefeld/ Theologiæ Prof. Prim. inchoatum Collegium THESEOS BIBLICÆ continuabit, &, uti hactenus conſuevit, ex nervo Scripturæ & Textu Ejus originali, fundamenta fidei eorumque probationes ſolidiores demonſtrabit, annexis ſemper fidelium officiis, ex naturâ & indole fidei divinæ fluentibus. Privatim occaſionem ſumet SS. Theol. Cultoribus viam oſtendere, quomodò facili & perſpicuâ exegeſi, oracula Scripturæ ad mentem Spiritûs Sanctiſſimi explicare, & è ſuggeſtu proferre queant.

JOH. HENRICUS MAJUS, *SS. Theol. D. & Profeſſor Ordin.* vaticiniis illuſtribus de Meſſia, è Jeſaia depromtis, publicè abſolutis, ad *Jeremiam* ordine progredi, & cum luculentus D. Schmidii Commentarius in hunc vatem extet, *Theologiam Jeremianam*, obſervatâ Locorum CC. ſerie, tradere B. C. D. decrevit. Privatim autem ſtudium induſtriamque ſuam Auditoribus omni ex parte promittit, &, poſt abſolutam D. Pauli Epiſtolæ ad Romanos explicationem, eam quæ ad *Galatas* perſcripta eſt, illuſtrare, vel, ſi ita viſum placitumque Commilitonibus fuerit, *Syſtema* aliquod *Theologicum* exponere, ac ſimul *Theologiam Symbolicam* perficere conſtituit.

HEINRICUS PHASIANUS, *SS. Th. D. Ejusdemq. Profeſſ. Extraord.* B. Rudrauffii Summ. Theol. quod Dnn. ſuis Auditoribus gratum eſſe intelligit, publice, Deo bene juvante, continuabit. Privatim Collegium vel in Aphoriſmos ſuos Gerhardinos, vel in Theologiam Poſitivam Königii, explicatorio-examinatorium habebit; aut, ſi quo alio modo Dnn. Auditorum votis, deſideriisque, gratificari ſe poſſe ſenſerit, pro viribus divinitus conceſſis, iis ſatisfacere adlaborabit.

## IN FACULTATE JURIDICA.

ANTON. HENRICUS MOLLENBECIUS, J. U. D. *Cod. Profeſſ. Ordin. & Jurid. Facult. Senior*, poſtquam, ad praxin viam quæ ſternit, *Judiciarii Proceſſus* materiam, præterito ſemeſtri, ob adverſam valetudinem, publicè prælegendo continuare impeditus fuit, proximè nunc, DEO benigne largiente, in ſcriptis delineatam prelo committet, & cupidis LL. Cultoribus, Dominis Studioſis ad ulteriorem diſquiſitionem communicabit. Quod ſi præterea, intra privatos parietes, promovendis illorum ſtudiis conferre potuerit operam, ſe officio ſuo nequaquam defuturum pollicetur.

FRIDERICUS NITZSCHIUS, D. *Conſil. Haſſ. & Pand. P. P.* in *Publ.* Lectionibus ad Capitulationem Joſephi Romanorum Regis commentari perget. *Privatim* poſtquam Collegium *Juris Feudalis* ad Examen *Dn. Strykii* abſolvit vel Collegium *Pandectarum* vel *Juris Publici* habebit.

JOH. NICOLAUS HERTIUS, *J. U. D. & Prof. Publ.* Diſputationes publicas, uti cœpit, per ſingulas hebdomadas continuabit, & reliquis diebus materiam teſtamentariam juxta ductum Lauterbachiani juris Compendii exponet. Privatim in eodem Compendio explicando examinandoque perget, ac de cætero deſideriis illorum, qui juri addiſcendo operam dant, pro virili ſe accommodabit.

BERNHARDUS LUDOV. MOLLENBECIUS, J. U. D. *& Prof. Ord.* Expoſitionem Quæſtionum Locameri Juſtinianearum publicè abſolvet, & privatim præter inſtitutiones, quamcunque adhuc aliam elegerint Auditores juriſprudentiæ partem, DEO adjuvante, tractabit.

## IN FACULTATE MEDICA.

MICHAEL Heyland/ *Med. D. & P. ord.* Praxin Medicam ex Cathedra Publica ita tractabit, ut conſtet citra neceſſitatem à Scholis ſæpenumero recedere modernos, quin verbis quandoque diſcrepare, reapſe vero, & præprimis ubi curatio eſt opus, Ipſis veterum eſſe calcandam viam, ſi ſuæ conſcientiæ, ægrorumque votis conſultum velint. Privatam informationem deſiderantibus pariter promte offert.

JUSTUS FRIDERICUS DILLENIUS, *Med. D. ac Prof. Ord.* quam ſuperiore brumâ ob Philiatrorum oſcitantiam ac indiligentiam inexcuſabilem abſolvere nequiit *Artuum Hiſtoriam Anatomicam* juxta & horundem *Oſteologiam*, ſinius ſecus autumnalibus publicè DEO favente tradere aggredietur atque abſolvere; Additurus & pro ratione temporis ipſam *Myologiam* pariter atque *Neurologiam* phyſico-anthropologicam; In *Privatis* Dnn. Philiatrorum deſiderio & captui, in iis quæ muneris ſui erunt, ſeſe lubens accommodaturus.

LUDOVICUS CHRISTIANUS TACKIUS, Med. Lic. ejusdemque Prof. Ord. quamprimum integras animo corporique Deus, Sanator optimus, vires clementer reſtituerit, muneri ſuo atque officio minimè deerit, ſed promptam Dnn. Philiatris operam ſuam, perinde ac olim, ſic & impoſterum, quàm lubentiſſimè commodabit.

## IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

HEINRICUS PHASIANUS, *Hiſtor. & Eloqu. Prof. ordin.* Hiſtoriam Scriptorum Eccleſiaſticorum publice, diebus Veneris, recenſebit. Privatim vel eandem urgebit; vel, ſi quid aliud Hiſtoriarum Eloquentiæque ſectatoribus placuerit, cum DEO, in uſus eorundem exſequendum, officioſe ſuſcipiet.

JOHANNES HENRICUS MAJUS, S. Th. D. *Linguarum Oriental. Prof. Ordin.* magnoperè geſtit Studioſos Theologiæ ad Hebraicos imprimis Chaldaicosque fontes deducere, ac eo nomine cùm propriam tùm ſubſidiariam operam fidelem iis offert. Cumque publicis Diſputationibus abſolverit *Examen Hiſtoriæ Criticæ N. Teſt.* P. Richard. Simonii, ejusdem Tractatum de *Verſionibus Novi Teſt.* ſimilem in modum examinare decrevit, ſi ſtrenuos nactus fuerit Philologiæ ſacræ Cultores.

M. BALTHASAR MENTZER, *Prof. Math. Publ.* Explicatâ hactenus Geometriâ Elementari & Practicâ, per hyemem, D. C. A. Aſtronomiam *Publice* proponet, nec in Geographicis, Geometr. Optic. &c. diſputando deſideraturis, deerit. *Privatim* Collegium Geographicum, (die Teutſche Stats Geographie) & Arithmeticum habere conſtituit, nulli interim defuturus, qui quovis modo ſuam opellam deſideraverit.

M. PHILIPPUS CASIMIRUS SCHLOSSERUS, *Log. & Metaph. Prof. Ordin.* quantocyus hos faſces, verè falces, hæc ſceptra, aut, ſi Comico fides, extrema rectius onera, quæ lectionibus ipſum publicis invitum hactenus prohibuêre, poſuerit, *Metaphyſicam B. Dn. D. Calovii Divinam* explicandam publicè reaſſumet, & quâ ruptum antea ſtamen fuit, rurſus contexens, uſum tranſcendentalis hujus diſciplinæ genuinum in fidei noſtræ articulis methodicè cùm proponendis cum defendendis, ab hæretico heterodoxorum abuſu vindicatum, porrò fideliter oſtendet. Privatum autem cœptum menſibus elapſis collegium Metaphyſicum *Explicatorio Diſputatorium* continuabit, &, Deo gratiosè adjuvante, ad finem perducet; Quin & alia, de novo, tam *Logica* quam *Metaphyſica*, placitâ deſiderantibus ratione atque methodo, aperiet.

MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI, *D. Medicus & Prof. Phyſices Ord.* DEO priſtinas clementiſſimè vires reſtituente atque conſervante, *publicè* errores & paradoxa ab Antiquioribus in rebus Phyſicis aſſerta, vi Statutorum Academicorum enarrabit inſimulque rationibus & experimentis refutabit. *Privatim* Phyſicæ Giſſenæ explicationem, quam morbo nuper præpeditus abſolvere non poterat, ad finem perducet novaque Auditoribus haud ingrata Collegia aperiet.

GREGORIUS NITSCHIUS, *J. U. L. Moral. & Civil. Prof. Ordin.* *Publicè* in Ethicis, ex quæ circa materiam Virtutum reſtant, abſolvet, Poſtea Boecleri Inſtitutiones Politicas explicabit. *Privatim* Collegium Ethicum & Politicum habebit. Præterea in Hug. Grotium de J. B. & P. aut quendam Ejusdem Epitomatorem, ſi placuerit Dnn. Auditoribus, Collegium aperiet.

*GISSÆ, Typis Henningi Mülleri.*

# RECTOR
## ATHENÆI LUDOVICIANI
# JUSTUS FRIDERICUS DILLENIUS,
## MED. D. ET PROFESSOR ORDINAR.
### *TOTUSQUE SENATUS ACADEMICUS*
### STUDIOSIS ACADEMIÆ CIVIBUS
*S. D. P.*

Uicunque ATHENÆA CHRISTIANA *pietatis, juſtitiæ omnisq; literaturæ melioris meliora* ἀκροατήρια *& Seminaria, ad Eccleſiæ militantis tutelam, Reipublicæ langueſcentis medelam, Artium & Linguarum clientelam inſtituta* dixit, me quidem judice rectiſſimè dixit: Etenim nemo melius vel de Eccleſia vel de Republica meretur, quàm qui Scholis & Academiis optimè provident, & iisdem operam manibus pedibusque navant indeſeſſam. Neque enim is ſolum Reipublicæ prodeſt, qui ad militiam & arma inſtruit juventutem, aut in foro accuſat reos ac defendit inſontes, deque juſtitia cauſæ diſſerit acutè pro roſtris; Verùm ii potiſſimum, qui juventutem pietate imbuunt, virtute inſtruunt ac doctrinâ expoliunt optimarumque Artium cognitione. Præceptorum hoc munus eſt ac Profeſſorum publicorum, omni conſilio, ſtudio, officio, operâ, labore, diligentia Studioſis adoleſcentibus conſulere atque prodeſſe; Quemadmodum viciſſim Studioſorum „ ingenuorum officium eſt, Auditorii frequentiâ, ſedulitate ac induſtriâ excitare munus Profeſſorium: Nam, ut *Quintilianus* ait, Optimus „ quisque Præceptor frequentiâ gaudet, & majore ſe theatro dignum putat, celebritate audientium inſtructus. Invaluit quidem ab annis bene multis, ut in plerisque Germaniæ noſtræ Academiæ, ita & in hac noſtra *Ludoviciana* perverſus iſte mos, ut *Lectiones* Profeſſorum *publicas* rarius inviſant Studioſi juvenes, perſuaſi falsò, Nos majorem *privatæ* inſtitutioni adhibere diligentiam quàm *publicæ*: At bona verba! Quaſi ſcil. meliora ſemper illa ſint, quæ pluris emuntur; deteriora verò quæ gratis offeruntur: Aut, quaſi minus meditata opera debeatur Auditoribus incertis & peregrinis, inopinatò ſæpe Auditoria publica accedentibus & præ foribus clam auſcultantibus, quam certis & familiaribus domi noſtræ Nos quotidiè convenientibus. Et verò de hac Auditorum raritate Auditoriorumque ſolitudine contra temporum injuriam jure quondam etiam conqueſtus fuit *vitâ & eruditione pariter inſignis Vir, Matthias Berneggerus, Argentoratenſis Academiæ Profeſſor inclytus*, cùm præfatur ad ſuas *in Suetonium Diſſertationes*. Intereà Nos non multitudo ſolum congregationis Academicæ conſtringit ad diligentiam, ſed & ipſa ſolitudo Nos vocat ad neceſſitatem vocationis noſtræ. Quapropter & Nos ipſa interdum in raritate Auditorum conſideremus vocationem noſtram, quæ duobus etiam vel tribus obligata eſt: Et æquum eſt, moleſtum ſit licèt, paucis ſe benevolum præſtare bonis, ut multos ita provocemus, dum paucis proſumus. Antiquum igitur obtinebimus & ſolito tramite bono cum DEO pergemus alacriter, pro priſtina Academiæ noſtræ dignitate ſperatáque Academicorum utilitate. VOS modò *Cives Academici Nobiliſſimi!* ne Vobismet ipſis deſitis, quæſumus, ſed HOC AGITE, ut ſtudium Noſtrum ſedulitate atque frequentiâ Veſtra gnaviter excitetis. VALETE! P. P. *Giſſæ, Dominicâ Palmarum, Anno Epochæ Chriſtianæ* M. DC. XCVI.

## IN FACULTATE THEOLOGICA.

D. JOANNES CHRISTOPHORUS BJLEFELD / *Concion. Aul. & P. P. primarius, Conſil. Eccleſ. & Superintendens*, publicè Doctrinam de Mediis Gratiæ abſolvet: *privatim*, quæ in Collegio EXEGETICO-PRACTICO reſtant, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ præcipua Capita, pertractabit, nemini ſuô ſtudio in his & aliis defuturus, quantùm vires & cumulata negotia permittent.

D. JOHANNES HENRICUS MAJUS, *SS. Theol. Prof. Ordinar.* poſt abſolutum in publicis recitationibus *Joëlem, Amoſum* juſto Commentario illuſtrabit, &, quomodo ejus vaticinia comminationesque ad noſtra exulcerata tempora accommodari utiliter in praxi queant, ubique commonſtrabit. Privatim verò continuabit ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν ſ. *Theologiam Evangelicam* ex Pericopis Evangeliorum Dominic. & Feſtiv. Adhæc *Synopſin Theologiæ Moralis* ex Libris Symbolicis concinnatam exponet, publicisque diſputationibus ſubjiciet.

HEINRICUS PHASIANUS, *SS. Theol. D. Ejusdemq; Prof. Extraord.* abſolutis ſuperiori anno *Socinianorum* controverſiis, reliquas, quæ cum *Fanaticis* intercedunt, ordine aggredietur, easque, cum DEO, brevitate expediet, ut nihil omittatur eorum, quæ ad momenta rerum pertinere videbuntur. *Privatim* Collegium *Lectorio-Diſputatorium* in Theologiam Theticam Rudrauffianam, ad umbilicum fere perductam, re aſſumet; vel, ſi ita viſum Dnn. Auditoribus fuerit, *Diſputatorium ſeorſim*, contra Pontificios, Calvinianos, &c. inſtituet: cujus uſus, annexa libris Symbolicis controverſiarum Sylloge, inſervire poſſet; vel, de quo conventum fuerit, autor alius. Nec minus *Homileticum* continuabit, ſi Dnn. Collegarum ſuperiori par numerus fuerit inventus.

## IN FACULTATE JURIDICA.

FRIDERICUS NITZSCHIUS, *D. Conſiliar. Haſſ. & Prof. Publ.* In Lectionibus *Publicis* V. D. Commentationem ad Capitulationem Joſephi Romanorum Regis continuabit; *Privatim* ſimiliter in Collegio ad *Dn. Schvvederi Introductionem ad Jus Publicum* perget, idque bono cum Deo abſolvet; Et ſi queis porrò ex Dnn. Studioſis ſub umbone Ipſius diſputando ſe exercere volupe eſt, iis opellam ſuam ex voto ſedulò pollicetur.

JOHANNES NICOLAUS HERTIUS, *J. U. D. & Prof. Digeſt. Publ.* poſt abſolutum ad Digeſta collegium, denuo D. V. novum auſpicabitur, ſi numerus ſufficiens Auditorum ſe aggreget. Exercitium diſputatorium quoque continuabit, publicè idem inſtituturus, ſi qui malint horâ publicis lectionibus deſtinatâ publicè audiri. Cæterum publicè in rarioribus argumentis pertractandis pergam, nec deero ut alia à me deſiderantibus pro virili ſatisfiat.

BERNHARDUS LUDOVICUS MOLLENBECIUS, *J. U. D. & Prof. Ordin.* Poſtquam *Succeſſionis Teſtamentariæ & Legitimæ* materiam abſolvit, nunc de *Obligationibus & Actionibus aget*. Privatim Lectiones *Inſtitutionum* pariter ac *Digeſtorum Struvianas* continuabit, & ſi qui diſputando exerceri velint, iis operam ſuam non denegabit.

## IN FACULTATE MEDICA.

JUSTUS FRIDERICUS DILLENIUS, *Med. D. & P. P. Ordinarius, h. t. Acad. Rector*, quoties per negotia Rectoralia otium ſibi conceſſum fuerit, inquilinarum pariter & exoticarum *Plantarum* in Horto Medico obviarum *demonſtrationi* vacabit horâ ſolitâ. *Domeſticam* verò ſuam operam atque induſtriam honeſtis γνησίων τῶν φιλιάτρων votis atque deſideriis, ſive in Theorica ſive Practica Medicina eam expetierint, per æſtivos ſoles lubentiſſimè conſecrabit.

CHRISTIANUS LUDOVICUS TACKIUS, *Med. Lic. Ejusdemq; Profeſſor Ord.* Quamprimum per DEI gratiam cum priſtina valetudine in gratiam redierit, officio ſuo tum publicè tum privatim pro poſſe ſatisfacere ſtudebit.

MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI, *Med. D. & Prof. Extraord.* abſolutis iis, quæ in Medico hujus Seculi (ſub ficto Sempronii Gracchi nomine à Mantio edito) *de Studio Medico feliciter inchoando & abſolvendo* reſtant, publicè *Inſtituta* prælegit & quem ad typum parat *Candidatum Medicinæ* V. D. diſputando expediet. Intra privatos autem parietes Philiatris ſibi concreditis *Materiam Medicam*, *Methodum præſcribendi formulas Praxinq; Clinicam* per Caſus ab iisdem reſolvendos inculcabit.

## IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

HEINRICUS PHASIANUS, *SS. Theol. D. Hiſtor. atq; Oratoriæ Prof. Publ. Ordin. librorum ſymbolicorum*, DEO bene juvante, lectionibus æſtivis publicis, *hiſtoriam* exponet. *Privatim*, in gratiam Eloquentiæ ſtudioſorum è *Patriarcharum hiſtoria occurrentes orationes* præcipuas excerpet, & juxta præcepta Oratoria expoliendas monſtrabit. Neque denegabit opellam, ſi qui, in cognoſcenda *Eccleſiaſtica hiſtoria integra*, ductum deſiderabunt.

JOHANNES HENRICUS MAJUS, *Ling. Oriental. Prof. Ord.* non ſinet operam ſuam ſtudiumve ullo in genere ſive Philologiæ ſive Linguæ deſiderari, & ſi non ubique omnibus ac ſingulis, propter multiplicata officia, facere ſatis ipſe poterit, conſilio tamen fideli aderit, & ſubſidiariam operam per idoneos peritosque Magiſtros præſtabit.

MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI, *Prof. Phyſ. Ordin.* publicè *Errores Scholarum Phyſices* enarrabit eosque rationibus æque ac experimentis emendabit. Privatim è contra *Veram* & per Naturam ad DEUM nos ducentem *Philoſophiam* docebit, ejusque Partem Generalem per *diſputationes Cyclicas* ultimis Septimanæ cujuſvis diebus ſive publicè ſive privatim habendas ventilabit: Specialem verò ita pertractabit, ut è triplici Naturæ regnô *Mineralia* in Metallifodinis SERENISSIMI NOSTRI Butisbacenſibus & Königsbergenſibus: *Vegetabilia* in Horto Medico, ſylvis & pratis: *Animalia* in vicino nobis Theriotrophiô Dillenburgenſi ipſis Auditorum oculis ſubjecturus ſit.

GREGORIUS NITZSCHIUS, *Jur. Lic. Polit. & Eth. P. P. Ord.* Lectiones publicas in D. Adami Rechenbergii Lineamenta Philoſophiæ Civilis, quibus Autor utramque Philoſophiæ Practicæ partem perſpicuè admodum & eleganter delineavit, inſtituet. In Collegiis etiam privatis, ut deſideria Auditorum ſe explicabunt, operam ſuam exhibebit.

JOHANNES REINHARDUS HEDINGER / *S. Th. Lic. Juriſpr. Naturalis, Philoſophiæ primæ ut & Organi Prof. P. O. capta* methodo in PUBLICIS, quâ *doctrinam* quâ *Autores*, pergere σὺν Θεῷ conſtituit. PRIVATIM vero Collegia pro lubitu & captu Auditorum, *maximè verò* in *Juriſprudentiâ N.* pollicetur. In *Logicis* ARTEM COGITANDI ex ſubtili utiliqùe opuſculo Dni *Le Bon* Galli; In *Metaphyſicis* altiſſima Veritatum naturalium principia, errandique vulgares vias, occaſione *Malebranche* ejusque libri de *Inquiſitione Veritatis* ita tractabit, ut *ſò* παιδαγωγικόν, ſive cui BONO probè obſervetur.

M. GREGORIUS DANIEL GERNAND, *Græcæ Linguæ Prof. Publicus Ordinarius*, ſicuti hactenus non ſine magna jucunditate intellexit, avidâ mente amplexos fuiſſe quosdam ſtudium iſtud, quod publicè in tractatione epiſtolæ Pauli ad Romanos philologica collocavit: Ita conſtituit ſecum, adjuvante cœleſti bonitate perſequi rem iſtam, animosque Dnorum Studioſorum extimulare adhuc majorem in modum, ut æſtimationi atque culturæ pretioſiſſimi iſtius Sermonis, quô Spiritui S. oracula atque myſteria Novi Teſtam. exſcribere placuit, operam dicare ſanctam, illiusque admirari velint majeſtatem. Dehinc in collegio privato maximopere etiam occupatus erit in continuanda epiſtolæ Pauli ad Hebræos ſcrutatione: Vel ſi Dnis Studioſis placuerit audire Scriptorem alium, ſive Chriſtianum, ſive gentilem, puritate, atque excellentiâ ſtyli Græcanici commendatum, de ſe confirmat, laboraturum ſe eſſe vehementer, ut deſiderio illorum optimè ſatisfiat. Quicquid præterea ad ſalutem Dnorum Studioſorum pertinere viſum fuerit, ad iſtud omnem curam, cogitationem, mentemque omnem traducet, quippe cùm florentibus illorum rebus nil ſibi reputet optatius.

*GISSÆ HASSORUM*, Typis CHRISTOPHORI HERMANNI KARGERI, Academ. Typogr. Ordinar.

# RECTOR
# ACADEMIÆ GISSENÆ
# JUSTUS FRIDERICUS DILLENIUS,
## MED. DOCTOR ET PROFESS. ORD.
### *CUM TOTO SENATU ACADEMICO*
### STUDIOSIS ACADEMIÆ CIVIBUS
*S. P. P.*

IN civitate *Peloponei* cujuſdam *Templum Honoris* quondam fuiſſe legimus, in quo Statua ejuſdem præferebat manu ſiniſtra orbem ex ſapphiro, plenum coronis regiis, ſceptris, clavis & aliis dignitatum inſignibus : Dexterâ verò ſtatuam virtutis cryſtallinam geſtabat aureo torque colligatam, à quo hæ literæ auro ſuſæ dependebant : TIBI UNI ET SOLI. ( Supple, militat honor. ) Sic apud Romanos *Templum Honoris* penes *Templum Virtutis* erat olim ; nec poruit templum Honoris intrari, quin prius Virtutis penetraretur. Quo ipſo iſtud ſignificare voluêre Sapientes populi, quod prudentiſſimus auctor *Tacitus* perhibet, *Gloriam virtutis comitem* vel *pediſſequam eſſe* ; Et quod Poëta : *Non niſi certanti pulchra corona datur.* Quapropter & VOS, ô *generoſi ac Studioſi JUVENES !* Si & ipſi aliquando Edita doctrinâ Sapientum templa ſerena tenere, ſi de hoſtibus Veſtris, i. e. ignorantia, inertia, pauperie, contemtu, vitiis atque ſceleribus glorioſè triumphare velitis, decertandum prius ac pugnandum Vobis eſſe ſciatis : Non quidem ( heu nefas ! ) cum Commilitonibus Veſtris, Muſarum filiis, neu nocturnis circatoribus aut Stationariis militibus ; Sed cum juratis illis, quos diximus, hoſtibus veſtris : Quibus pleniſſimè devictis tantò major VOS manebit gloria, quantò præſtantior eſt armis toga, pax bello, Marte Pallas. Et quemadmodum, dicente *Tullio*, „ ( l. 2. de Orat. ) ſi cui aurum, quod eſſet multifariam defoſſum, commonſtrare vellem, ſatis eſſe deberet, ſi ſigna & notas oſtenderem locorum, quibus cognitis, ille „ ſibi ipſe foderet, & id, quod vellet, parvo labore, nullo errore inveniret : Sic has ego argumentorum novi notas, quæ illa mihi quærenti demonſtrant ubi ſint ; reli- „ qua cura & cogitatione eruuntur : Ita NOS quoque, finitis jamtum nundinalibus feriis, *Tabulam* denuò VOBIS, CIVES ACADEMICI Nobiliſſimi ! tum *Lectionum publicarum*, tum *privatorum Collegiorum* per inſtans hiemale ſemeſtre ξὺν Θεῷ [illegible] habendorum indicem heic ſuſpendimus. Veſtrûm nunc erit, Veſtrarum quod eſt partium, ſtrenuè exequi, Noſque præeuntes alacriter inſequi. P. P. in Academia LUDOVICIANA Dominicâ XVIII. poſt SS. Trinit. Anno Chriſtianorum M. DC. XCVI.

## IN FACULTATE THEOLOGICA.

D. JOANNES CHRISTOPHORUS BJLEFELD, *P. P. prim.* in Lectionibus *publicis* ad finem perducet ea quæ ex ſemeſtri elapſo reſtant, præſertim DE STATU GLORIÆ fuſius tractationem inſtituet. *IN PRIVATIS* contra Pontificios Summam Concilii Tridentini examinabit, & abominanda Papatûs, quantùm fieri poteſt, deteget : Reliqua etiam, quæ ex uſu Juventutis Studioſæ eſſe novit, haud neglecturus.

D. JOHANNES HENRICUS MAJUS, *SS. Theol. Prof. Ordinar.* poſt abſolutam *Theologiam Moralem & Symbolicam*, utramque nunc junctim tractabit, ita quidem ut primò *Theſin* perſpicuis ac firmis Scripturæ S. fundamentis roboret, eamque deinde à *præcipuis adverſariorum* ſive *objectionibus* ſive *exceptionibus* vindicet, ac demum *ad praxin pietatis* accommodet. Et quo tenacius cuncta hæreant, examen omnium Locorum inſtituet, privatos intra parietes. *Theologiam* quoque *Evangelicam* continuabit, ut Studioſi habeant exercitium in *Exegeticis & Homileticis.* Publicè verò *Amoſum* ad finem perducet, &, ſi licebit, alium è minorum Vatum numero addet.

## IN FACULTATE JURIDICA.

FRIDERICUS NITZSCHIUS, *D. & P.P. Conſil. Haſſ.* Publicè V. D. in Commentatione ad Capitulationem Joſephi Romanorum Regis perget. *Privatim* verò Collegium Juris Practicum, vel etiam Juris Feudalis ſeu Juris Publici ſi deſideraverint Dnn. Studioſi, habebit.

JOHANNES NICOLAUS HERTIUS, *J. U. D. & Prof. Publ.* publicè ſelectiores ad Digeſta controverſias, prout cœpit, exponere continuabit ; *privatim* quoque in Collegio ad Compendium Juris Lauterbachianum explicatorio pariter ac examinatorio ita progredietur, ut, ſi Deo placuerit, id intra ſeptem aut octo menſes abſolvatur. Nec minus paratus erit, ſi ullâ aliâ ratione profectus illorum, qui Juriſprudentiæ ſtudio operantur, juvare poterit.

BERNHARDUS LUDOVICUS MOLLENBECIUS, *J. U. D. & Prof. Ordin.* Publicè, quæ in *Contractibus* reſtant, abſolvet, hincque ad materiam *Delictorum* progredietur. *Privata* quoque Collegia, quibus occupatur, continuabit, & quæ porrò deſiderabuntur, Deo vires largiente, inſtituet.

## IN FACULTATE MEDICA.

JUSTUS FRIDERICUS DILLENIUS, *Med. Doct. Ejuſdemq; Profeſſor Ordin. & h. t. Academ. Rector* ſimulac oneroſo Rectoratûs officio ex voto defunctus fuerit, *in Prælectionibus Phyſio-Pathologicis*, pro vera morborum ſede cauſisque ex Anatome eruendis, ibi, ubi hornò ſubſtitit, *publicè* perget : *Privatim* verò *Collegium in Inſtit. Waldſchmidiana* æſtate adulta demum inchoatum continuabit ; Et, ſi quæ alia inſuper in aliis Medicinæ partibus ab ipſo expetierint τῶν Ἰατρῶν Παῖδες, in iis quoque honeſto Eorum deſiderio pro poſſe velificabitur.

CHRISTIANUS LUDOVICUS TACKIUS, *Med. Lic. Ejuſdemq; Profeſſor Ord.* Quamprimum per DEI gratiam cum priſtina valetudine in gratiam redierit, officio ſuo tum publicè tum privatim pro poſſe ſatisfacere ſtudebit.

MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI, *D. Medicus & Prof. Extraord.* publicè *Pathologiam Generalem* in Fundamentis Medicinæ Mechanicis *D. Frid. Hoffmanni* delineatam explanabit. Privatim *Medicamentorum Compoſitionem Praxinq; Clinicam* novâ eaque perquam expeditâ methodo docebit & ad privatam æque ac publicam remediorum diſpenſationem applicabit.

## IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

D. JOHANNES HENRICUS MAJUS, *S. Linguæ, ac cæterarum, quas Oriens colit, Prof. Ord.* nullo in genere deerit petentibus, & præter ſubſidiariam operam pollicetur etiam propriam. Inprimis cum Stipendiariis Haſſiacis exercitium examinatorium ſemel per hebdomada inſtituet, ad quod omnibus aliis φιλοβίβλοις aditum liberum unà indulget.

D. MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI, *Philoſ. Nat. Prof. Ordin.* abſolutâ nuper Phyſica Scholarum erroneâ, vera Scientiæ Naturalis principia ad *Phyſica Giſſena* ductum è Cathedrâ Publica inculcabit, eaque, ni DNN. Auditoribus diſplicuerit, diſputando ſimul ventilabit. *Privatim* in eorum vota ibit, qui operam ſuam in hoc ſtudii genere deſideraturi ſunt.

GREGORIUS NITZSCHIUS, *J. U. L. Moral. & Polit. P. P.* Publicè in Explicandis Lineamentis Philoſophiæ Civilis Rechenbergianis perget. *Privatim* verò in utraque Philoſophiæ Pract. parte Deſiderantibus operam ſuam exhibebit. Præterea quoque in Notitiam Auctorum, & alia Collegia à foro ſuo non aliena aperiet.

JOHANNES REINHARDUS HEDINGER, *SS. Th. L. Juriſprud. Nat. Prof. P. O.* Lectiones in Pufendorfii Officia §. 9. continuabit, privatis horis facturus, quod è re videbitur.

M. GREGORIUS DANIEL GERNANDI, *Græcæ Linguæ Prof. Publ. Ordin.* conſtituerat equidem ſecum, tractationem Epiſtolæ Pauli ad Romanos philologicam, adjuvante Divinâ bonitate, proximò ſemeſtri laboribus publicis ad finem perducere : Amplitudo autem materiæ tantæ inſtitutum iſtud perficere, paſſa non fuit. Quæ igitur adhuc reliqua ſunt, cùm excellentiâ quoque radient ſingulari, tum operæ pretium exiſtimabit illuſtre, ſcrutationi ejuſmodi ſtudium impendere amplius. Quod ad actiones attinet privatas, explicationi pariter Epiſtolæ ad Hebræos operam navabit ſedulam. Si qui etiam Dnorum Studioſorum profani cujuſdam ſcriptoris percipere dulcedinem expetiverint, de ſe pollicetur, magnâ contentione ſe commodi illorum habiturum eſſe rationem.

AUGUSTINUS VAGETIUS, *Math. Prof. Publ.* recitationes publicas de doctrina numerorum continuabit, quibus ad finem perductis, in erudito pulvere circulos ducet ulteriores ; Algebræ ſpecioſæ, ſine cujus cognitione Matheſis hodie nulla eſt, facilitatem oſtendet, ſaltem quod ad initia ejus pertinet ; &, ſi auditores acceſſerint idonei, ad puræ Matheſeos cognitionem ita eos ducet, ut mentes, a præjudiciorum tyrannide liberas, ad alias eruditiones adferre, & veritatem ab opinione conſueſcant diſcernere. Privatim in Geographicis perget, uſum Globi cœleſtis & terreſtris monſtrabit. Contemplationem ſiderum publicè privatimque in Academiæ ſpecula publica nonnunquam invitante cœlo continuabit. In aliis quoque pro virili ſua, & pro captu ac diligentia cujusque, operam ſedulam navabit.

*GISSÆ HASSORUM*, Typis CHRISTOPHORI HERMANNI KARGERI, Academ. Typogr. Ordinar.

# RECTOR
# ACADEMIÆ GISSENÆ
# MICHAEL BERNHARDUS
# VALENTINI,
## CUM UNIVERSO SENATU ACADEMICO
### INGENUIS ACADEMIÆ CIVIBUS
*S. D. P.*

VEriſſimè SENECA *lib. de Tranquillit. animi cap. 1. Multi*, inquit, *ad eruditionem pervenirent, niſi putarent ſe eò perveniſſe*; id quod iis plerumque contingit, qui inſuper habitâ vivâ Profeſſorum informatione, mutis aut ſemivocalibus ſe tradunt & in tantô ſententiarum diſcrimine hinc inde fluctuare, quàm cum Eruditis ſentire malunt. Generoſius longè veriusque ſentiebat EPAMINONDAS apud *Nepotem C. 3.* qui vel eam ob cauſam *audiendi ſtudioſus erat, quod ex hoc facillimè diſci arbitraretur. Itaq; cum in circulum veniſſet, in quô aut de Republica diſputaretur aut de Philoſophiâ ſermo haberetur, nunquam inde prius diſceſſit, quàm ad finem ſermo eſſet deductus.* Hunc ergò Ducem ſequimini CIVES ACADEMIÆ GENEROSI, taleſque ſtudiorum Duces Vobis eligite, qui vivâ ſolidaque docendi methodô ſcrupulos, quos muti ferè ſuggerunt, animis Veſtris eximere & ab omni fluctuatione liberare valent. Imitamini Salvatorem vix duodecennalem, qui in medio Doctorum ſedens ſe in exemplum dedit Vitæ Academicæ eoque ipſô publicos Eruditorum diſcurſus ſummoperè commendavit: Deponite ſupercilia, exuite præjudicium, quô ſine omni revera judicio multi ſtatuunt ea, quæ in publicum proferuntur, Tyrones unicè concernere infraque dignitatem eruditionis Academicæ verſari. Aliud Vobis perſuaderi poterunt ſelectiſſima, quæ in Tabulâ præſenti, more hactenus recepto, Vobis offeruntur argumenta, tàm in Publicis quàm Privatis Conventibus explicanda, è quibus ea, quæ cujusvis ætati, profectui ac propoſito conveniunt, Vobis eligite & quæ indefeſſa PROFESSORUM in omni Eruditionis genere CELEBERRIMORUM Induſtria Vobis propinat, in ſuccum & ſanguinem convertite. Valete. *PP. Dominicâ Quaſimodogen. Anno* M. DC. XCVII.

## IN FACULTATE THEOLOGICA.

D. JOANNES CHRISTOPHORUS **Bilefeld** / *P. P. prim.* publicè ea quæ ex prioribus Prælectionibus adhuc reſtant, B.C.D. abſolvet, hiſque abſolutis TABULAS HODOSOPHICAS DANNHAUERI, quas cum præfatione utiliſſimâ Theologus de Eccleſiâ Chriſti meritiſſimus Dn. D. *Spenerus* in lucem emiſit, ſolidis ex Scripturâ S. deductionibus illuſtrabit. *Privatim* verò Lectiones Anti-Tridentinas ad finem perducet, & reliquum temporis Exegetico labori, pro captu & commodô Auditorum tribuet.

D. JOHANNES HENRICUS MAJUS, *S. Theol. Prof. Ordinar.* cum *Amoſum* Vatem hactenus publicè expoſuerit, nunc *Micham* breviter luculenterque interpretabitur, & illuſtria comprimis vaticinia de Meſſia contra Judæos vindicabit. Privatim autem *Epiſtolam Jacobi*, veram fidei vivæ ac totius Chriſtianiſmi praxin complectentem, hunc maximè in modum pertractare ſtudebit, ut poſt præmiſſam Analyſin atque Exegeſin, diligenter oſtendat inculcetque, quæ, ſive ad dogmata, ſive ad mores ſpectant. Ea omnia deinceps transferet ad uſum Homileticum, ut habeant S. literarum Cultores, quæ in omni genere utilia ac ſalutaria ſunt, in Thetica, Exegetica, Polemica & Homiletica Theologia.

## IN FACULTATE JURIDICA.

FRIDERICUS NITZSCHIUS, *Phil. & U. J. D. Conſil. Haſſ. & P. P.* In Lectionibus Publicis V. D. ea quæ in Commentatione *ad Capitulationem Joſephi* Romanorum Regis, reſtant, penitus abſolvet. *Privatim* Collegio Feudali præterito Semeſtri abſoluto, inpoſterum Collegium Juris Publici ad *Dn. Schvvederi Introductionem* vel alium bonum Juris Publici Doctorem habebit, nec de cœtero deerit, unde Studioſæ Juventuti opella ipſi ſua commendata eſſe poſſit.

JOHANNES NICOLAUS HERTIUS, *J. U. D. & Prof. Pand. Publicus* publicè, uti circa extremum præcedentis ſemeſtris cœpit, in pertractandâ materiâ teſtamentorum perget: *privatim* ſe ad deſideria juris ſtudioſorum libenter accommodabit, inprimis autem operam ponet, ut diſputando quoque ſe exerceant, qui jam ſolida juris fundamenta poſuêre.

BERNHARDUS LUDOVICUS MOLLENBECIUS, *D. & P. P.* Publicè in *Böckelmanno* materiam uberrimam de *Actionibus*, ejusque *Partem Generalem* pariter ac *Specialem* exponet. *Privatim* Collegium in *Syntagma R. Dn. Struvii* continuabit, & præterea vel ejusdem Autoris *Jurisprudentiam Forenſem*, vel *Inſtitutiones Juſtinianeas* reaſſumet, &, ſi Auditoribus placuerit, Exercitium Diſputatorium hebdomadale adjunget.

GREGORIUS NITZSCHIUS, *Jur. Prof. Extra-Ord.* Publicis in Lectionibus Deo volente Collationem juris Veteris cum Praxi moderna, & quidem Methodo Inſtitutionum Imperial. inſtituet. *Privatim* verò præter Collegium Inſtitut. Juſtinian. ad ſingulos §. §. explicatorium, in Dn. Strykii Introductionem ad Praxin forenſem, & alia Collegia Practica, pro ut deſideraverint Jurium Cultores habebit; quemadmodum & in aliis Jur. partibus Deſiderantibus operam ſuam pollicetur.

## IN FACULTATE MEDICA.

JUSTUS FRIDERICUS DILLENIUS, *Med. Doct. hujusdemq; Profeſſor Ordinar.* inſtante ſemeſtri æſtivo, loco *Lectionum publicarum* Demonſtrationibus ſolitis plantarum Officinalium æquè ac exoticarum in Horto medico obviarum, nec minùs Herbationibus campeſtribus, cœlo ac tempore ad eas invitantibus, Deo ita porrò volente, vacabit: *Privatas* autem *Scholas Medicas* deſiderio pariter & captui Dnn. Philiatrorum adaptabit.

CHRISTIANUS LUDOVICUS TACKIUS, *Med. Lic. Ejusdemq; Profeſſor Ord.* Quamprimum per DEI gratiam cum priſtina valetudine in gratiam redierit, officio ſuo tum publicè tum privatim pro poſſe ſatisfacere ſtudebit.

MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI, *Med. D. & PP.* abſolutô *Collegio Practicô Generali* propediem aliud *Speciale* ſeu *Conſultatorium* aperiet, Caſibusque rarioribus & difficilioribus per itinera varia in celebrioribus Galliæ Angliæ, Belgii & Germaniæ Noſocomiis æque ac Praxi quotidianâ à ſe obſervatis Candidatos Medicinæ ſibi concreditos ad τὸ τεχνῶδες assuefaciet Eosque *publicis*, ſi placuerit, *Diſputationibus* ſimul crebrò exercebit.

## IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

D. JOHANNES HENRICUS MAJUS, *Linguar. Orient. Prof. Ord.* Synopſin Theologiæ Judaicæ veteris & novæ tradet, ita, ut illius veritatem ex S. Ebræo Codice & vetuſtiſſimis Magiſtrorum monumentis ſtabiliat, ac hujus falſitatem, objectiones exceptioneſque vanas ex iiſdem fontibus breviter & ſolide refellat. Adhæc nulla in parte deerit maſculæ Philologiæ Cultoribus, ſed vel conſilio omnibus aderit, ſi propter occupationes complicatorum munerum auxilio ipſe juvare cunctos nequeat, eoſque ad Magiſtros idoneos amandabit, uti ad SS. Bibliorum lectionem diligenter adducantur.

MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI, *Phil. Nat. PP. & Facultatis Phil. p. t. Decanus* admiranda DEI in Naturâ magnalia eorumque cauſas Machinis pretioſis & accuratè confectis è Belgiô, Miſniâ & Noricô pronuper obtentis in *Collegio*, quod meditatur, *Curioſè Experimentali* adeò clarè & diſtinctè ob oculos ponet, ut neque Plato neque Ariſtoteles illic amplius diſtinguere valeant.

GREGORIUS NITZSCHIUS, *Polit. & Eth. Prof. Ord.* Publicè ea quæ in explicandis Lineamentis Philoſophiæ Civilis Rechenberg. reſtant, abſolvet. *Privatim* autem in utraque Philoſophiæ Pract. parte induſtriam ſuam ad Auditorum deſiderium exhibebit.

JOHANNES REINHARDUS **Hedinger** / *D. Jurisprudentiæ* Natur. ut & *Eloq. & Poeſ.* Prof. P. Ord. Libellum de Officio *Hominis & Civis* E. 9. abſolvet. *PRIVATIM* H. GROTII *de Jure Pacis belliq;* Libros enucleare perget, juncturus, ſi Dnis Auditoribus inſtitutum arriſerit, *diſſertationes*, quas *Spicilegium* ſeu *ſtricturas Rationales* adpellabit. *Aliis* libellum, cui tit. *Conſpectus Univerſalis* &c. explicabit, nec Eloq. Studioſis operam ſuam denegabit.

M. JOHANNES BARTHOLOMÆUS RüDIGER, *Prof. Log. & Metaph. Ord.* quamprimùm huc advenerit, ſpartam ſibi deſignatam utrobique ita exornabit, ut *publicè & privatim* expectationi DNN. Commilitonum ſatisfiat.

M. GREGORIUS DANIEL GERNANDI, *Græc. Ling. Prof. Publ. Ordin.* quæ in tractatione Epiſtolæ Pauli ad Romanos adhuc reliqua ſunt, abſolvere prius publicis Lectionibus animum induxit, quàm alia ſumat explicanda; id quod & circa Epiſtolam ad Hebr. in collegio privato præſtandum exiſtimat, quæque in illa adhuc exponenda ſuperſunt, ad finem perducere ex inſtituti ratione contendet. Adhæc quod auctores attinet, alios linguæ Græcæ elegantiâ celebratos, pollicetur de ſe, ſi qui fuerint illorum amantes, magnum illis in negotio ejusmodi ſuppeditaturum eſſe ſtudium.

AUGUSTINUS VAGETIUS, *Math. Prof. Publ.* Ignatii Gaſtonis Pardies Elementa Geometriæ publicis recitationibus percurret. *Privatim* in curſu Mathematico nuper cœpto perget, eumque cum aliis idem flagitantibus inchoabit. De cetero in Geographicis & alia quavis Matheſeos parte nemini deerit opem ſuam poſcenti.

GOTHOFREDUS ARNOLDI, deſignatus *Prof. Hiſtor. Ord.* Ludovicianæ huic redditus *publicè privatimq;* Hiſtoriam tam Univerſalem, quàm Specialem Regnorum, Rerumpublicarum &c. profitebitur.

JOHANNES HENRICUS MOLLENBECIUS, *J. U. Lic. ejusdemq; Prof. Extraord.* publicas Lectiones pro incepto ad Tit. D. de O. I. proſequetur abſolutâque juriſpr. Romanorum prima, quæ Legibus Regiis conſiſtitur ad mediam progredietur, id ibidem maximè acturus ut cùm Leges XII. tabb. earundemque interpretatio, utramque ferè ejus paginam abſolvant, quâ ratione à melliflüſſimo Hiſtorico *Fons omnis, publici privatiq; juris* appellentur eluceſcat. *Privatim* verò collegium Inſtitutionum continuabit & nova ſimul pro ſuâ virili & deſiderio Dominorum Commilitonum aperiet.

*GISSÆ HASSORUM*, Typis CHRISTOPHORI HERMANNI KARGERI, Academ. Typogr. Ordinar.

# RECTOR
## ACADEMIÆ GISSENÆ
## MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI,
### CUM UNIVERSO SENATU ACADEMICO
### INGENUIS ACADEMIÆ CIVIBUS
### S. D. P.

*EXcitat Auditor Studium: Auditorem autem allicit fidelitas & dexteritas Docentium. Quemadmodum ergò prius à Vobis, CIVES GENEROSI, expectamus: Ita de poſteriori eò minus dubitare poteritis, quò promptius Alma hujus Ludovicianæ Antiſtites ſua Vobis ſubſidia, etiam non rogati prius, offerunt, dum in præſenti* Lectionum Catalogô *acceſſum Vobis parant ad verum eruditionis decus, in omni Facultatum & Scientiarum genere haud difficulter impetrandum. Veſtram jam erit ſedulitate & confluxu frequenti excitare labores, tam Publicos quàm Privatos, quos ſuo quiſque modulo è præſenti tabula adaptare poterit. Valete.* PP. Dominica Judica, *Anno M DCC. ſub ſigillo Academiæ Majori.*

## IN FACULTATE THEOLOGICA.

D. JOH. CHRISTOPHORUS **BILEFELD**/ *P.P. Primarius publicè* in Tabulis Hodoſophicis B. Dannhaueri nervum totius Theologiæ ſuccinctè explicabit. *Privatim*, Exegetica in explanando certo Libro Biblico, qui placuerit Auditoribus, tractabit, ſimulque Polemica pro uſu & captu Diſcentium, methodo hactenus conſuetâ, tradet. Faxit Deus feliciter!

D. JO. HENRICUS MAJUS, *S. Theol. Prof. Ord. Malachiam* publicè interpretabitur, more hactenus conſueto; privatim verò *Harmoniam Evangelicam* continuabit, & repetitionem inſtituet *Theologiæ Symbolicæ & Moralis*, per Examen bis ſingulis hebdomadibus habendum, ac demum monſtrabit quomodo ad praxin Homileticam ea omnia applicari queant.

D. JOH. ERNESTUS GERHARDUS publicè Epiſtolam ad Titum explicabit. Privatim Theologiæ aut Theoreticæ aut Practicæ elementa pro captu Auditorum tradet, & Diſputationes in Auguſtanam Confeſſionem pertexet.

## IN FACULTATE JURIDICA.

FRIDERICUS NITZSCHIUS *Phil. & U. J. D. Conſil. Haſſiacus & P. P.* Abſolutis *publicè* iis, quæ in Materiâ Proceſſûs Criminalis adhuc reſtant, Materiam *de Emendatione* noviſſimâ *Kalendarii*, additis *Reflexionibus Juridicis*, tàm ex Jure Publico quàm Privato petitis, proponet. *Privatim* Collegium ad *Prudentiam Juris Publici Dn. Cocceji* aliaque Studioſæ Juventuti proficua deſiderantibus habebit.

JOH. NICOLAUS HERTIUS, *J. U. D. Prof. Pand. Publicus, publicè* materiam emtionis & venditionis ſec. Seriem Digeſtorum & ductum Compendii Lauterbachiani accuratè explicabit. *Privatim*, prout in eodem Compendio elapſo Semeſtri exorſus eſt, progredietur, & de reliquo ſtudiis cupidæ LL. juventutis pro virili inſerviet.

BERNHARDUS LUDOVICUS MOLLENBECIUS *D. & P. Ord.* publicè, quæ in B. Struvii Jurisprudentiâ Romano Germanicâ Forenſi reſtant, abſolvet; Privatim in Collegio Lauterbachiano pariter ac Struviano perget, & in aliis quoque Studioſorum deſiderio ſatisfacere ſtudebit.

JOH. HENR. MOLLENBECIUS *J. U. Doct. & Prof. Extr.* Privatim *inſtitutionibus* jurisprudentiæ *Romano-Germanicæ* occupabitur, ac laborabit ut argumentis ibidem è *neceſſariis requiſitis* & potiſſimum *curata* materia, ad genuinum juris uſum intellectus procuretur. *Publicè* verò in *titulum de actionibus* commentabitur, ac de cætero quovis modo ſtudia æſtimatiſſim. Commilitonum adjuvare, pro virili annitetur.

IMMANUEL **WEBER**/ *J. U. D. & Prof. P.* Extra-Ord. *Publicè* doctrinam *Jur. Nat. & Gentium* docendo diſputandoque tradet. *Privatim* Inſtitutiones Juris Juſtinaneas tractaturus id operam dabit, ut & *ſenſus* & *uſus* Auditoribus absque tædiô evadat manifeſtiſſimus.

## IN FACULTATE MEDICA.

D. JUSTUS FRIDERICUS DILLENIUS, *Med. P. P. Ordinar.* per inſtans ſemeſtre æſtivum *Anthropologiâ* ſua *medica publicè*, Deo volente, perget, abſolutâque proximè *Cordis*, Regis viſcerum, *phyſiologiâ* mox ad *pathologiam* ejusdem progredietur, eâque occaſione *Febrium* doctrinam omnem quà theoricè quâ practicè ſolidè proponet. *Privatim Collegium Inſtitutionale* nuper inchoatum ſedulò continuabit, aliaque ſimul, pro captu & placito Philiatrorum induſtriorum de novô exordietur.

D. MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI *Prof. Med. Ord.* quantum per negotia Rectoralia licebit, *Diſputationibus publicis* æquè ac *Collegiis Privatis*, cumprimis autem Practicis & ad uſum paratis, Genuinos Artis Medicæ Cultores juvare perget,

ANDR. JULIUS **BOETTICHER**/ *Med. D. & Prof. Anatom. Chirurg. & Botanic. Ord.* Abſolutis illis, quæ in *Barbettianæ Chirurg. Parte Prima* adhuc ſuperſunt, *Plantarum Hiſtoriam* auſpicabitur, ſingularum characteriſticas notas & Medicum uſum publicè propoſiturus. Privatas etiam operas ad nutum atque captum Expetentium accommodabit.

CHRISTIANUS LUDOVICUS TACKIUS, *Med. L. c. Ejusdemq; Prof. Ord.* Quamprimum per Dei gratiam priſtinâ cum valetudine in gratiam redierit, officio ſuo tum publicè tum privatim pro poſſe ſatisfacere ſtudebit.

## IN FACULTATE PHILOSOPHICA

D. JO. HENRICUS MAJUS, *Ling. Orient. Prof. P.* vellet equidem cum D. Paulo, ut omnes peregrinis, ac ſanctis maximè loquerentur linguis, eique nomine nihil prætermittet operæ induſtriæve, ad excitandos exercendosque Studioſos, ut ſpiritualia dona affectent, & imprimis ut vaticinentur, ſive ad ædificationem interpretentur ſacras literas.

D. MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI *Prof. Hiſt. Natur.* deſideratum à nonnullis *Collegium Experimentale* denuò aperiet, eâ quidem methodô, ut ſaniora Philoſophiæ Naturalis præcepta, ſub curioſô & jucundô experimentorum luſu, ſimul inculcentur.

JOH. BARTHOLOMÆUS RÜDIGER, *Log. ac Metaph. P. P. Ord.* Opitulante Summo Numine *Publicis* Lectionibus, ex *Metaphyſicis* eorumque *Parte ſpeciali*, quam *Pnevmaticam* appellare amant, Caput de MENTE ſ. *Anima* SEPARATA, juxta Pnevmatica præcepta *B. Chr.* DONATI dilucidè proponet, æquâ conſiderationis lance ſimul appenſis iis, quæ tùm *Veteres*, tùm *Recentiores*, imprimis *Lud.* de la FORGE, & Petr. POIRET ſuis de hoc argumento *Cogitationibus*, Literato Orbi legenda pariter ac meditanda reliquerunt: In *Logicis* autem cœptas elapſa hyeme *Quæſtiones Logicas Vexatas*, magnam partem *Logico-Theoſophicas*, paſſim non ſine eorum fructu, qui tandem aliquando *Controverſias Theologicas*, ſuo loco ac tempore audituri ſunt, uberius proſequetur: *Privatis in horis* ſe ſuamque opellam, quibuscunque legitimis Dnn. Auditorum uſibus atque deſideriis, totum debiturus.

M. GREGORIUS DANIEL GERNAND, *Græcæ Linguæ Prof. Publ.* parte quadam ex 2. Cor. explicatâ, in reliquis nunc exponendis ſtudium collocabit publicum. Privatis horis vel ex Plutarcho, vel ex alio auctore ſatis probato ea tractabit, quæ Dnis Auditoribus non exiguæ fore utilitati exiſtimaverit.

AUGUSTINUS VAGETIUS *Math. Prof. Publ. Ord.* Publicè vel Numerorum vel Magnitudinum doctrinam: Privatim ſcientias Mathematicas in Compendio, nec non Geographiam ſeorſim inchoabit.

JOH. HENR. MOLLENBECIUS, *Prud. Civil. Prof. Ordin. hypomnemata* juris prudentiæ Naturalis & Gentium, in *prudentia* verò *civili* aphoriſmos ſuos interpretabitur.

JOH. CHRISTIANUS LANGE, *Moral. Prof. Publ. Ord.* explendo muneri ſuo haud ſufficere ratus, ſi compendium quoddam Ethicum per unumquodque ſemeſtre iterum iterumque tractaturus, Horatiani Citharœdi inſtar, ſine omni in Morali Symphonia profectu, eâdem ſemper oberret chorda: Inſtituti ſui rationem, prout è re Auditorum fuerit, *ad diſciplinæ ſuæ profectum publicè privatimque* accommodabit, *conſiliaque ſua huc facientia ſpeciali Programmate exponet*; neque tamen non movendas movebit chordas, ſed ab ἀπειρίᾳ κινῆσαι χορδὰς τὰς ἀκινήτους ſtudioſè ſibi cavebit.

IMMANUEL **WEBER**. *Doct. Hiſtor. Prof. Publ.* Hiſtoriam Civilem cum Eccleſiaſticâ conjuncturus abſolutâ hactenus hiſtoriâ *ſeculi primi* Civili, proximè ab *Eccleſiaſticâ* ejusdem auſpicium faciet, & ita alternis vicibus utramque explanabit. *Privatim* res notatu dignas *poſteriorum duorum ſeculorum* recenſebit.

M. MATTHIAS NICOLAUS KORTHOLT. *Orat. & Poeſ. PP. Ord. ritè deſignatus* quàmprimum Chiloniô advenerit, ſpartam ſibi demandandam & publicè & privatim, pro virili exornare ſtudebit.

SI prætereà ſunt, qui *Linguarum Exoticarum, Gallicæ* cumprimis, *Anglicæ & Italicæ* ſtudio ducuntur, ſufficientem hic penes Magiſtros illarum manuductionem obtinebunt. Quemadmodum & *Artis Equeſtris Magiſter* noviſſimè huc vocatus, *Laniſta*, aliarumque Elegantiarum & Exercitiorum Artifices in artibus ſuis docendis operam ſuam dexteritate allaborabunt.

*GISSÆ HASSORUM*, Typ. *JOHANNIS REINHARDI VULPII*, Acad. Typ.